

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 198, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

Leibn. Marg. 198

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 198, [2] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 198, [3] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 198, [4] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 198, [5] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 198, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

ad Virr. Celeberr. Leibnitium et Hanov.

93

Qvod Bene Vortat.

DE

THULE VETERUM

dissertatio

Qvam

Permissu Amplissimi Collegii Philosophici in Regia Academia Upsaliensi

PRÆSIDE

Clarissimo Viro

MAGNO CELSIO,

Math Inf. Prof. Ordin.

SVEN KARLSTRÖM/

disputandam proponet

In Aud. Gust. ad diem XXIX. mensis Novemb.

Anni M DC LXXIII.

HOLMIÆ, Typis Wankivianis.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [7] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 198, [8] - -

PUBLIC DOMAIN

S.æ R.æ M.tis
REGNI Q. SVECIÆ
SENATORI, CONSILIARIO,
ET
THESAURARIO MAGNO,
UT ET
ACADEMIÆ PERNAVIENSIS
CANCELLARIO,
ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO Q. DOMINO.

DN. STENONI BJELKE/

Libero Baroni in Korpo/
Domino in Geddeholm/Gräßön/
Borby/Öhrboholm & Tåna/ &c. &.

Domino meo gratioſisſimo & benigniſsimo.

D. D. D.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [9] - -
PUBLIC DOMAIN

ILLUSTRISSIME EXCELLENTISSIME Q.

DOMINE,

DEterrere me merito deberet magnitudo Muneris & occupationum Tuarum, quibus pro Republica distineris, quo minus auderem qualiacunque hæc, inter umbram & literarium otium nata, inscribere Illustrissimo domi foris q̃s Nomini Tuo. Verum erigit me, quod tam vasto sis animo, ut Reipublicæ curandæ sufficias, tam placido, ut bonis literis mirum in modum delecteris; eos q̃s ames omnes, qui in illis pro sua virili proficere satagunt. Quod inter alios Illustrissimæ Excellentiæ Tuæ clientes mihi non ita pridem abunde experiri licuit. Nam cum perillustri, & ab avitis non degene-

generanti virtutibus Juveni, FABIANO VREDE, cujus tutelam maximo ejus cum emolumento multis bene annis geris, vitæ studiorumq; arbitrum, itineris in exteros comitem, & in eo utriusq; fortunæ socium circumspiceres, isti provinciæ me præ aliis admotum voluisti. Singularem hanc gratiam omni veneratione agnosco, perpetuo lætus judicio Tuo, quod amplissimum mihi testimonium erit, dignum habitum me, cui tam illustris, & ad optima quævis nati juvenis informatio committeretur. Accipe oro pari facilitate hasce pagellas patriæ nostræ, cujus Tu commodis cælo agnatum animum devovisti, nomina prisca vindicantes, faciemq; orbis Arctoi, qvalis antiqvissimis, majorum Tuorum temporibus, fuerit, utcunq; repræsentantes, in animi Excellentiæ Tuæ æternum devotissimi argumentum. Eqvidem ingenue fateor hæc non ea cura elaborata

borata esse, ut digna censeam quæ Illustrissimi Nominis Tui splendore exornentur; sed arripio hanc occasionem Excellentiæ Tuæ submisse me fortunasq; meas commendandi: sollicite obsecrans, ut inter clientes Tuos aliquo me loco habere non dedigneris. DEus Te quam diutissime Regi, Patriæ, Gloriæ Tuæ felicitatiq; superstitem servet.

Illust.mæ Excell.tiæ Tuæ

Humilimus cliens

Sven Karlström.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [12] - -
PUBLIC DOMAIN

CAPUT PRIMUM.

De nomine Thules.

Operis difficultas. Occasio. Thule insula veteribus. Ultima in Septentrione. Materia figuræ apud Poëtas. Thule proverbium. Scriptura varia & vera. Originatio. Significatio. טולי *Phœnicum. Tenebræ Septentrionis. Thule materia comemntorum. Tylos Indica. Thule Rex Ægypti. Thule* Vogensonn.

TErram Thulen in tanto scriptorum dissensu recte designare, & sententiæ de illa veræ recensere fata, opus arduum plus satis & pene invium est. Quod etiam ipsis veteribus utut diligentibus, ob ejus in ultimo Septentrione situm, inaccessum fuit. Hæc est causa quod multas de Thule fabulas, ut fabulosa est antiquitas, scripserint, multos q; circa eam erro-

res commiserint veteres; quibus recentiorum varias sententias originem suam debere, haud abs re quis adfirmaverit. Qui Thules memoriam prodiderunt, in primis quidam Antonius Diogenes, & Pytheas Massilienſis occurrunt: quorum alter incredibilium de Thule, insula libros viginti quatuor; alter postquam circumnavigasset eam, varia de illa composuit volumina. Interea non ignoramus, etiam aliis ante hos, memoratam fuisse Thulen; quod vel ex Photio (a) liquet; qui ita vertente Schotto: *Licet falsa eaq; incredibilia finxerit, habuit tamen de his ipsis fabulis testes longe antiquiores, è quorum scriptis summo hæc labore contulit.* Hos Geographi & utriusq; linguæ Poëtæ excipiunt, qui fabulis eorum

(a) Cod. CLXVI.

eorum, quos nominavi, seducti, varie Thulen describunt. Sic plura abiere secula, cum strenue ignorarent exterorum pleriq; non tam esse aliquam hoc nomine insulam, quam cui insularum nomen Thules tribuerent. Bono tandem Scandinaviæ, Justiniani seculo literis & armis eminuit Procopius, qui primus docuit quæ veterum Thule & ubi. Diu acquievit orbis literatus magni viri judicio, donec Adamus Bremensis diversum sentire Islandiæq; Thules nomen arrogare inciperet. Nec ante eum inventus quisquam est, qui Scandinaviæ hoc nomen invideret, imo nec causam cur quis jure id faceret, Ortelius videre potuit, qui tamen plus in Geographia vidit, quam ullus aut ante, aut post eum alius. Conticuit tamen illa Bremen-

sis sententia, neq; postea de Thule lis alia extitit, nec forsan extitisset unquam, nisi eam movisset Cluverius, vir quidem de Geographia veteri haud male meritus, in plerisq; tamen circa conjecturas suas nimis ambitiosus confidensq; qui odione Scandinaviæ, an favore in Islandiam, haud dixerim, per tot secula possessum Thules nomen Scandinaviæ detractum, parvæ nec ita diu inventæ insulæ Islandiæ tribuit. Sed quid mirer nolle Cluverium Scandinaviam esse Thulen, cum Gothos tot Regnorum conditores everssoresque, non ex Scandinavia sed ex sua patria Pomerellia ortum duxisse, contra omnium, quotquot de Gothis scripserunt, fidem affirmare non erubuit. Hanc ejus sententiam Isacus Pontanus amplectitur

ctitur, quem ſolidis rationibus refellit Arngrimus Jonas, ipſe oriundus ex Iſlandia, cui antiquitates noſtræ plurimum ſe debere profitentur. Is ut erat vir perquam eruditus & ſinceræ fidei, itemq; indigena, patriæ ſuæ hiſtoriam & res antiquas ignorare non potuit, ideoq; Thules nomen ab iſto loco alienum renuens, integro libello, cui titulum fecit, *Specimen Iſlandiæ Hiſtoricum*, Thulen ab Iſlandia diverſiſſimam eſſe demonſtravit. Talia fuere Thules fata, imo quandoq; nonnihil duriora, ut, cum ſitum ejus inquirerent Doctiores, nunc ad Iſlandiam, ut audivimus, nunc ad Hetlandiam, nunc ad extremam Hiſpaniæ oram, & quod magis mireris, ad Galliæ populos Morinos, imo ad extremam Indiam relegarent eam. Nec defuere

qui per Thulen certam denotari insulam negarint, verum per eam ultimam quamvis terram intellexisse veteres voluerint. Longius adhuc abeunt qui omnia ex sua ignoratione metientes, nihil in rerum natura existere volunt, nisi quod ipsis fuerit exploratum. Qualis fuit Synesius, qui an Thule unquam fuerit, dubitavit. Nec absimilis Gyraldus homo à nostra memoria non admodum remotus, qui eam nusquam comparere aut extare asserit.

Tot adversis conflictata Thule, inter undas disparuit non raro, sed emersit & apparuit iterum, & tandem inter orbis & quidem Septentrionis insulas locum nomenq; invenit. Hæc mirum quantum se clarissimis ingeniis commendavit, eorum præsertim, qui dulcem sibi, utilem posteri-

ſteritati operam in orbis terrarum deſcriptione poſuerunt. Celebrandi materiam in primis præbuere dierum noctiumq; in ea miræ & alibi inſolentes vices, non illæ veræ ſolum, eximio naturæ opere ſpectabiles, ſed & figmentis ſupra veri fidem auctæ. Nec exiguam huic terræ claritatem, Diogenes & Pythias fabulis ſuis conciliarunt: de qua, utpote cujus tantum famam habere potuerunt alii, tutius & impune ſe fabulari poſſe ſperabant. Horum demum fabulas ſequens ætas, ut ſolemus vetera venerari, legit, ac falſa pro veris probavit. Quo eſt factum, ut, quot de Thule olim auctores, tot fere de ejus ſitu hodie extent ſententiæ. Quidquid ſit, inclaruit tandem Thule, quam *Graiis & noſtris celebratam carminibus* Mela ait. (b)

Nec

(b) l. 3. c. 6.

Nec claritatem ejus Æthicus (c) tacet, dum *non paucis notam* dicit. Imo maximus Poeta (d) cum maximo in terris principi, ſe & tanto Cæſare dignum quid voveret,

— — — *Tibi ſerviat ultima Thule*

inquit, ſignificans nil ſe nec celebritate dignius, nec amplitudine majus voto ſuo complecti poſſe. Namq; latiſſimos non ſolum imperii fines, verum ampliſſimas quoq; terras ſuo Cæſari apprecabatur. Sicut enim alias nunquam, ita ne tunc quidem Romam adorabat Thule: quod contra inſulſos quosdam notavit magnus hujus Academiæ imo & gentis in quam olim adſcitus eſt, honos Loccenius. (e) Quid multa? tantis decantata eſt Thule elogiis, ut

(c) p. m. 508. (d) Georg. 1. v. 30.
(e) Lib. 2. Ant. Svcog. cap. 1.

ut certent terræ, ad quas ejus descriptio aliquo modo trahi possit, quo in hanc veteris gloriæ possessionem veniant.

Hujus claritate fatisq́; moti, ægre tulimus terrarum celeberrimam ita inter æquora errare, & huc illucq́; pro studio partium jactari: aut quod magis indignum, nihil in Geographia frequentius occurrere legiq; quam Thulen, & nihil magis ignorari quam eam. Quare huic Oceano nos commisimus Thulen quæsituri; quam diu multumq́; quæsitam, in ultimo Septentrione tandem invenimus, deprehendimusq́; non esse aliam, quam quæ veteribus nunc Scandinavia, nunc Baltia & Basilia nuncupatur

His ita prælibatis, existere in rerum natura Thulen nostram, & in cerebello male feriatorum

hominum non esse natam, probare non erit difficile, cum unicus id agat Synesius, cujus dubitationi, tot omnium seculorum Geographos, quorum semper in aliis rebus fides intemerata fuit, opponimus; qui omnes existere Thulen dicunt, describuntq́; eam & descriptam nos hodieq́; agnoscimus. Ad rem itaq́; propius accedamus & in primis audiamus quid veteres de ea senserint.

Ex iis quorum beneficio Thules & nomen & descriptio ad nos pervenit, insulam veteribus creditam fuisse, ubivis obvium est. Ita ex Diogene Photius non uno in loco, Thulen insulam appellat. Strabo expresse quidem insulam, quod sciamus non vocat, pro insula tamen habuisse eam vero simile est, cum Pythiam, ut ipse fatetur, legerit, qui insulam esse

esse eam prodidit. Quod vel ex Plinio (f) liquet, qui Pythiam allegans ita ait: *quod fieri in insula Thule Pythias Massiliensis scripsit.* In re tam clara prolixiores esse nos non decet, cum passim Auctores hoc idem non taceant; tum quod nemo inventus sit qui veteres de Thule ita credidisse in dubium vocaverit.

Ultra hanc veterum diligentia penetrare non potuit; unde Thulen orbis conditi limitem & claustrum crediderunt; eamq; mare congelatum quod concretum Plinio, Glaciale juvenali, Pigrum Tacito & quod nos Ishafwet vocamus alluere dixerunt. Plinius (g) *unius tantum diei navigationem à Thule ad mare concretum* facit. *Ultra Thulen pigrum esse & concretum mare* Solinus ait. (h)

 Hanc

(f) l. 2. c. 75. Hist. Nat. (g) l. 4. c. 16. (h) c. 25.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [23] - 11
PUBLIC DOMAIN

Hanc in ultimo Septentrione ultimam fecerunt veteres : quare Procopius (i) vertente Grotio : *Thule quantum hominibus noſcitur in ſupremo Oceani ad Septentrionem receſſu ſita eſt.* Et Æthicus(k) *inſula Tilæ*, ſic peſſime ille, per *infinitum à cæteris patet longius ſecreta, in medio occani ſita eſt.* Strabo (l) Περὶ δὲ τῆς Θούλης ἔτι μᾶλλον ἀσαφὴς ἡ ἱστορία, διὰ τὸν ἔκτοπισμόν. *magis m. obſcura eſt Thules hiſtoria, ob tam longinquum ſitum.* Hæc cauſa eſt, qvod Poëtæ & alii, ſolenni qvaſi formula ultimam Thulen vocaverint. Plinius citato loco; *ultima omnium qva memorantur Thule.* Solinus, *è qvibus ultima Thule.* Sic in Medea Seneca ſuo tempore non ulteriorem noviſſe Romanos terram teſtatur, divinus-

(i) Goth. Hiſt. l. 4. p. 467. (k) p. m. 508. (l) 4. p. 201.

nusq; vaticinatur post multa secula ulteriores terras hactenus ignotas detectum iri.

Venient annis secula seris,
Quibus oceanus vincula rerum
Laxet, & ingens pateat tellus,
Tiphysq; novos detegat orbes,
Nec sit terris ultima Thule.

Nec est qvisqvam veterum, qvi, dum Thules meminit, non ultimam vocet illam. Venantius Fortunatus de Apostolo Paulo:

Transiit oceanum vel qva facit insula portum,
Qvasq; Britannus habet terras qvasq; ultima Thule.

Forsan huc respexit Ovidius jam exul. (m)

Heu qvam vicina est ultima terra mihi.

Qvod & magis ab iis qvæ nunc seqvuntur patescet.

(m) Eleg. 4. l. 3. de Ponto.

In his dum occupamur, Poëtis ſolenne eſſe obſervamus, cum rei geſtæ viriq́; eximii magnitudinem famamq́; celebrant, ut virtutis ejus ultimam Thulen conſciam adducant. Rutilius in Itinerario ſuo, Victorini laudes canens, ait:

Conſcius oceanus virtutum, conſcia Thule
Et qvicunq́; ferox arva Britannus arat.

Ita pro *conſulis*, qvam lectionem impreſſi retinent, legendum eſſe viri docti olim obſervarunt. Venantius Fortunatus de fama Hilarii.

Eloqvii currente rota, penetravit ad Indos,
Ingeniumq́; potens ultima Thyle colit.

Claudianus (n) cum Getici belli terrorem famamq; deſcriberet, inqvit: *Fama-*

(n) Bel Get. v. III.

Famaq́ nigrantes ſuccincta pavoribus alas
Secum cuncta trahens, à Gadibus uſq́ Britannum.
Terruit oceanum & noſtro procul axe remotam
Inſolito belli tremefccit murmure Thulen.

Idem de qvarto conſulatu Honorii, cujus avum celebrat:

-- -- maduerunt Saxone fuſo
Orcades, incaluit Pictorum ſanguine Thule.

Imo Juvenalis (o) inexcuſabiles Ægyptios judicat, qvod in tam culto ſeculo, carnibus humanis veſcerentnr, qvando

-- totus Grajas, noſtrasq́ habet orbis Athenas.

&, verſu interpoſito:

De conducendo loqvitur jam Rhetore Thule.

Tan-

(o) Sat. 15.

Tandem videtur nobis *Thule ultima* proverbii ſpeciem habere. Qvo notiſſimum illud Virgilii à nobis antea citatum referimus; ut & ea qvæ modo ex Seneca exſcripſimus. Hanc noſtram conjecturam non leviter Nicetas Choniata (p) de Alexio Angelo confirmat: Τοσοῦτον δὲ ἀπεῖχε τοῦ εἰδέναι, τὰ δρώμενα, ἐς ὅσον καὶ Ρωμαίων, ἀποσχοινίζονται οἱ τῆς Θούλης οἰκοῦντες τὰ ἔσχατα. *A notitia vero rerum, qvæ gerebantur, tantum aberat, qvantum à Romanis ſeparantur, qvi extrema Thules incolunt.* Huc facit Arnobius (q) *conſtituamus primo noſcendæ rei cauſa, templũ numinis alicujo apud ultimã Thylem, ejusdem apud Seras eſſe, apud furvos Garamantas, & qvi ſunt alii, qvos ab ſui notitia maria, montes, ſylvæ & qvadrini diſter-*

(p) Ann. l. 2. p. m. 312. (q) Lib. 6. adv. Gent.

disterminant cardines. Item Ammianus Marcellinus (r) *etiam si apud Thulen morarctur Ursicinus, acciri eum magnitudo rerum ratione probabili flagitabat.*

Sicut in aliis circa Thulen veteres, ita non parum in ejus scriptura variant. Græci qvotqvot sunt omnes, Θύλη scribunt, qvos accuratiores latini scriptores, utpote Virgilius, Juvenalis, Statius secuti, *Thule* verterunt: qvamvis pro Thule, in iis etiam & nonnullis aliis *Thyle* reperias. Qvam lectionem barbaris demum seculis cœpisse Cluverio placet. Licet vero tam freqventes sint lectiones hæ, ut merito qvis ambigere possit, utra earum sit genuina; eam tamen nos probam pronunciare non dubitamus, qvæ sequitur scripturam græcam, qvæ

r lib. 13. p. edit Boxhor. 222.

ſemper Θύλη eſt, & nunqvam, qvantum conſtat, Θούλη. Præſertim cum eam Illuſtris Salmaſius in eruditiſſimo, qvod Exercitationes Plinianas inſcripſit, opere, probaverit. Ita ſingularis exempli vir: *Lathyrus pro Lathurus perperam in libris Plinii & Melæ ſcribitur, ut Thyrii pro Thurii, qvi ſunt Θούριοι, & Thyle pro Thule qvum ſit Θύλη.* Huc usq; Salmaſius, in qvo miramur, qvod tam parce de Thule locutus fuerit, cum & illuſtrari mereretur illa egeretq; & nihil fere rerum talium multarumq; aliarum iſtius viri acumen prorſus effugeret. Interea hæc non ſunt tanti, ut illis præcipue noſtram ſententiam ſuperſtructam velimus: cum non ſit inſolens literam latinam *U*, reſpondere nonnunqvam Græcæ υ. Ac præterea qvando vox aliqva

qva de lingva in lingvam transfertur mutari ſæpe & conſonantes & vocales, ut altera lectio hac ratione utcunq; excuſari qveat. Longius autem à cæteris receſſit Æthicus, qvi pro genuino *Thule* & corrupto paulum *Thyle*, corruptiſſime *Tile*, *Tille*, *Tila* & *Tilæ* ſcripſit. Qvare ad eruendam veram lectionem tutius ad originationem vocis Thules confugiamus, qvam nos cum Bocharto non ex Saxonico Tell/nec Anglico *Tylle* aut *Teyle*, neq; Belgico Theulen; ſed ex Phœnicio תולי *Thule*, deducimus, rationesq; qvibus inducti hoc facimus, paulo poſt aperiemus.

Nam non minus in inqvirenda origine ſignificationeqve hujus vocis diverſa docent Auctores: nec mirum cum in tanta antiqvitate caligare neces-

ſum habeamus. Veteres hac de re audiamus & inprimis Iſidorum,(s)cum qvo Barthol. Britannicus de proprietatibus rerum facit, qvi Thulen inde dictam ſcribit, *qvia in ea æſtivum ſolſtitium ſol facit, & nullus ultra eam dies eſt.* qvod recitaſſe eſt refutaſſe. Svidas plauſibilis magis à Rege Ægypti Thule: Θοῦλις, inqvit, ὅς ἐβασίλευσέ πάσης Αἰγύπτου, καὶ ἐως τοῦ Ωκεανοῦ, καὶ μίαν τῶν ἐν αὐτῷ νήσων ἀπὸ τοῦ ἰδίου ὀνόματος ἐκάλεσε Θούλην. *Thulis hic toti Ægypti regnũ ad oceanũ uſq; tenuit, & unam inſulam in eo ſitam de ſuo nomine Thulen appellavit.* Monſtroſum hoc Bocharto eſt, *cum*, ut verbis ejus loqvamur, *nec q; Rex Ægyptius ullus legatur hujus nominis in Ægypti Regum catalogis, quos habemus ex Manethone, & Herodoto*

(s) Origin. 14. c. 6.

to & Diodoro & Affricano; neq; eorum quisquam imperii fines ad Gades usq; pertulerit, multo minus ad Thulen insulam in extremo septentrione. Sunt qvi ἀπὸ Τήλυς deducũt, qvi nec ipsi se viro magno probant, cum sic Τηλὴ sive *Tele* non Θούλη *Thule* diceretur. Nec Reinerus Reinecci⁹, qvi à Saxonico Tell Telle deducit, qvod *Limitem* sonat, qvasi Thulen *orbis limitem diceret*. Has tantum de origine Thules sententias Bochartus attulit. Nos & alias qvas observavimus animi causa dabimus, qvo appareat diversitas eorum qvi in hac illustranda desudaverint & mirari liceat potuisse viros alias clarissimos, ita hac in re lusui dicam an ingenio indulgere. Adrianus Scrieckius in originibus Celticis, Thulen dictã vult qvasi Toe-le'e vel Toel-eit qvod

ſupra jacentia notat, Francis *la haulte ſituation.* Joannes Pontanus (t) in chorographica deſcriptione Regni Daniæ, eam ad Danicum vel Norvegicum idioma refert, *à qvo*, inqvit, *nec abit multum Anglorum & Saxonum, ex eo poteſt percipi, qvod circa Norvegiam, è mari extantes ſcopuli hoc afficiantur nomine, cujusmodi eſt ille, ſive inſula ſit, qvæ extra littus in aperto mari prope Hellemſtadium viſitur* Thuyle *dicta, tum & in ipſa Norvegia ditio eſt amplisſima* Thylemarchia *& hodie q̃, apud Anglos vocum* Tylle Toyle, *& apud Belgas* Theulen Thuylen *ut uſus ita ſignificationes ſunt obviæ.* Ad hoc Belgarum Thuyl reſpexit forſan Jacob Kemp qvidam, qvi cum Smetio oppidum Batavorum edenti gratularetur in qvodam carmine ita: *Neſcio*

(t) p. 746.

Nescio qvid Thuyl *sit? qvid* Tiel
sit an ultima Thule?
Tunc non ulterius cognita ter-
ra fuit.

Liberalius hac in re indulget ingenio suo Goropius Becanus (v) qvi inde Thulen dictam docet: *qvod instar Tholi cujusdam orbi terrarum sit imposita; vel qvod eo navigantes ad ploratum* (tothulen *Belgæ dicunt*) *proficiscerentur.* Addamus & Jacobum Malbrancũ Audomarensem (x) de Morinis strenue in hunc modum inceptientem: *Thule*, inqvit, *à genio loci Morinici facta est appellatio*, qvod hac ratione probare conatur. *Romani è viis illis cæsareis in Morinos descendentes, ut mari appropinqvabant, videbantur sibi adululãtes undas persentiscere: unde ulule nomen partibus illis adhæsit.*

(v) Etymol. Cimb. p. 330. (x) Tom. 1. l. 1. c. 11

ſit. poſt pauca. *nec mirere ſi th ſit additum: qvia cum indigenæ eſſent ſuo theutoniſmo addicti, & inaudirent ſæpius Romanos venire ad ulule, Thulule dixerunt & per ſyncopen Thule.*

Sed miſſis his, ſolidiora ex aliis adferamus. Qvare præter rem erit vel Joannem Camertem, Solini commentatorem vel alium aliqvem in hanc ſcenam producere, cum unic⁹ Bochartus(y) rem confeciſſe videatur. Is vero ut Coloniam Phœnicum in Thule fuiſſe perſvadeat, טולי *Thule* profert, qvod Phœnices illi, ob tenebras qvibus circumfuſa eſt & caliginem indiderunt. טולי *Thule* enim juxta eũ *plane phœnicium eſt; Syris proprie* umbræ *ſunt. Hinc* טולי רמשא Thule ramſa umbræ veſpertinæ *Jerem.6.4. in chaldæo*

(y) Chanaan, l.1.c.40.

dæo Paraphraste. Hinc translata significatione טולי Thule *pro tenebris passim sumitur. Sic* טולי מותא thule mota umbræ mortis, *Es. 9. 2. in paraphrasi, id est tenebræ lethales; & Job. 3. 5.* וטולי מותא השוכא tenebræ & umbræ mortis, *ponuntur ut Synonyma. Ita Phœnicibus* גזירת טולי gezirat Thule *erat* insula tenebrarum, *vel quod idem est* tenebricosa, *Quod nomen insulæ ad extremum Septentrionem sit æ quam congruat nemo non videt.* Nam hæc portio mundi, magnam anni partem inter tenebrarum squalores exigit. Quod nec veteres ignorarunt, qui nimii in damnando Septentrione fuere, scilicet cujus valde exilem notitiam habuerunt. Plinius(z) de Pterophero regiõe Scythiæ, *pars mundi damnata à rerum natura,*

D &

(z) l. 4. c. 12.

& mersa densa caligine. Solin⁹(a)Simia Plinii: *pars mundi damnata à natura rerũ in nubem æternæ caliginis mersa.* Statius Thules ter meminit eamq; nunc *nigram* nunc *nigrantem* ejusq́; *vada* vocat *caligantia* ipsamq; *hesperiam* ob eandem qvam dixi causam, qva & illam Phœnices *Thulen* vocarunt.

Vel super hesperiæ vada caligantia Thules, (b)
--- --- *aut nigræ litora Thules* (c)
--- --- *qvantusq́; nigrantem*
Fluctibus occiduis fessoq́; Hyperione Thulen
Intravit. (d)

Ex his liqvere existimo qvam congruat nomen insulæ.

Ex

(a) c. 20. (b) Stat. l. 3. Syl. ad Claudian. (c) l. 4. ad Marcel. (d) l. 5. in Protreptico ad Crispinum.

Ex Plinio aliisq; duram de Septentrione noſtro audivimus cenſuram, qvaſi perennes eum poſſiderent tenebræ. Tale eſt qvod Homerus (f) ποὸς ζόφον, *ad caliginem*, & qvod Strabo (g) ποὸς ἄρκτον ad ſeptentrionem interpretatur. Qvin Pythias Polybio teſte, ut auctor eſt Strabo, (h) neſcio qvod fatiſcentis naturæ chaos in illis locis ſibi fingit: ἐν οἷς ἔτε γῆ καθ' ἑαυτὴν ὑπῆρχεν ἔτι, οὔτε θάλαττα, οὔτ' ἀὴρ, ἀλλὰ σύγχριμά τι ἐκ τούτων πλεύμονι θαλαττίῳ ἐοικὸς: *in qvibus ſecundum illum neq; terra erat adhuc, neq; mare, neq; aër, ſed confuſio qvædam ex illis pulmoni marino ſimilis.* Qvo loco ſint habenda hæc optime ſcimus qvi Septentrionem dives illud naturæ penu inhabitamus. Antiqvum hic obtinet Pythias, cui & reliqvis illud

(f) odyſſ. 1. verſ. 25. (g) lib. 1. p. 34.
(h) l. 2. edit. caſaub. p. 104.

Syneſii (i) dictum volumus. ἡ Θύλη διδοῦσα τοῖς διαβᾶσιν αὐτὴν, ἀνεύθυνα καὶ ἀνέλεγκτα ψεύδεσθαι. *Thule, iis qvi ad illam navigarunt impune ac citra reprehenſionem mentiendi poteſtatem facit.* Itaqve uberrima mentiendi ſeges Thule veteribus fuit. Unde eſt qvod Euſebius (k) in Hieroclem Philoſtrati de Apollonio nugas cum iis confert qvæ de Thule inſula præter fidem narrantur. Hoc in cenſu veniunt, Diogenes qvi (l) τῶν ὑπὲρ Θύλην ἀπίστων λόγων κδ. *incredibilium de Thule inſula, libros viginti qvatuor* ſcripſit, & Pythias qvi de Thule magis commentus qvam commentatus eſt.

Huic tandem capiti anteqvam ſupremam manum imponimus, pauca de ejusdem nominis inſula, qvam India habet agamus, ne te ſimi-

(i) Ep 147. (k) l. 3. (l) Phot. codice CLXVI

similitudo appellationis decipiat; qvam ut ait Sylvester Giraldus (m) *in obliqvo reperies, non in recto.* Illa enim Tylos hæc Thule vocatur. Imo ne qvidem in obliqvo, si Strabonis, Eustathii, Stephani & aliorum auctoritatibus standum esset, qvi Τύρ non Τύλ legunt, obtinuit tamen Τύλ, nec pro eo Τύρ scribendum aut ita vocandam insulã esse Bochartus statuere audet, cum Theophrastus, Artemidorus, Polybius, & numero plures Τύλ habeant. Ut nostram Septentrio & mentitæ tenebræ; ita hanc arbores lanigeræ & palma vitesq; æternum frondis honorem servantes commendant. Si Svidæ fidem seqvamur; habuit Ægyptus Regẽm *Thulen*, à qvo, ut idem vult, Thuli nostræ

(m) In Topograph. Hyber. c. 17.

nomen. Præter hunc Arngrimo (n) notatum video & alium, qvem ille *Scaniæ aut vicini tractus Dominum & Heroem celeberrimum* Thulen vocat: cujus adhuc memoria in chronico Norvego-Danico celebris est:

Leſwer hand Thule Vogenſonn/
och dät ſkall hafnis.

à qvo promontorium, *ubi Norvegiæ tractus ſit Scaniæ conterminus Thulenes* nomen traxiſſe idem exiſtimat. Sed de his ſatis.

(n) Speciminis Islan. pag. 160.

CAP.

Capiti tamen huic, anteqvam ad alia transeamus, syllabum subnectere placuit, nomina hujus terræ tam vetera qvam recentiora continentem. Chersonesum hanc longe lateqve patentem, qvam veterum Thulen fuisse postea probabimus, Pytheas apud Plinium *Abalum* & *Basiliam*, sed corrupte ut nonnulli volunt: Timæus *Bannomannam*: Xenophon Lampsacenº & idem, qvem nominavi Timæus *Balthiam* appellarunt. Hecatæo apud Diodorum *insula Hyperboreorum*: Melæ vero & Plinio *Scandinavia*, Ptolemæo *Scandia* dicta est. Sed Jornando, corrupte *Scanza*: Gemeticensi *Scanzia* & Dudoni corruptissime *Canza* nominatur. Ericus Upsaliensis *Mesiam* seu *Scythiam minorem* dictam ait; Sturlesoni-

us

us item Mannaheim / Indigenæ Nordurland ; exteri *Normanniam*, hoc est Normannorum, & juxta Græcos Hyperboreorum regio, de qvibus plura dicam in capite ultimo.

CAPUT SECUNDUM

Veterum de Thule sententias adfert.

THule in Septentrione. Ad eam viæ. Loca vicina. Mare concretum. Navigatio unius diei qvanta. Stadium. Thule Belgis oppositæ. Dies in ea maximus. Mores incolarum. Ratio victus. Situs Thules Ptolemajcus.

Sic

SIc expoſitis iis, qvæ circa Thules nomen obſervatu neceſſaria fuerunt; ad ejus ſitum contemplandum nunc revertimur, & præſertim eum, quem illi veteres tribuerunt; qui concordes ſatis eum in ultimo Septentrione collocarunt. Verum cum Septentrio inſulas numero plures poſſideat, imo terras exigua ſui parte continenti adhærentes & veteribus pro inſulis habitas, operæ nos pretium facturos exiſtimavimus, ſi veterum circa Thulen ſententias proferamus, ut ex iis Thulen, qvæ multo tempore tot ingenia exercuit, eruamus.

Plures ſunt viæ qvæ putantur ad Thulen ducere, non omnes tamen æqvæ commodæ, qvædam etiam planè deviæ, ut, qvi recta non proficiſcitur, erret neceſſe ſit, quod non paucis eveniſſe novimus.

vimus. Quidam ita ab omni via & linea aberrarunt, ut dubitaverint an uſquam in rerũ natura ſit Thule: imò eſſe negarint etiam. Hi vero ad Thulen non tam falſa quam nulla via eunt: id eſt prorſus non eunt. itaq; nec id qnod non quærunt, unquam invenient. Inveniremus tantundem & nos euntes, ſi vias quæ ad Thulen ducere perhibentur omnes ſequeremur. Ita enim à ſe invicem primi illi viæ duces abeunt, ut, cum iter ad Thulen aperire ſe exiſtiment, præcludant illud. Nos itaq; veteres adferentes, Thulen vel ex locis quibus vicina eſt, vel à longiſſimo die, vel à terræ ingenio, moribusq; incolarum vel tandem à deſcriptione Ptolemæi inveſtigare conabimur.

Inter eos qui ex locis vicinis Thulen deſcribunt primus ſe offert

fert Pytheas; qui, ut ex Polybio de Thule & locis adjacentibus Strabo(a) refert: *Neq; terram porro ibi esse, neq; mare, neq; aërem, sed quippiam ex his concretum, pulmonis marini simile, in quo terra & mare sublimia pendeant, at q; universa: hoc q; esse quasi vinculum universi, neq; pedibus accessum, neq; navibus: ac formam pulmonis se ipsum vidisse, cætera auditu percepta referre.* His verbis, qvis non videt eum innuere velle, Thulen tam vicinam esse Septentrioni, ut nil rerum sit ulterius, nisi qvod cætera sustineat, hoc est, cardo extremus mundani axis. Unde & Strabo, postquam de ultimis populis, extremoq; terræ habitabilis in Septentrione termino differuisset, subjicit: ὡς δ' ἐνταῦθα νομίζω τὸ πέρας εἶναι τῆδε. *Ibi ergo finem constituendum*

(a) l. 2. p. m. 104.

dum cenſeo. Plinius (b) *A Thule unius diei navigatione mare concretum, à nonnullis Cronium appellatur.* Solinus ex eodem (c) *ultra Thulen accepimus pigrum eſſe & concretum mare.* Verum qvanto verſus Septentrionem Thule recedat ſpatio, qvidam certo menſuræ genere oſtendere ſunt conati. Sic Plinius (d) *à Britannia ad Thulen verſus Septentrionem ſex dierum;* & Solinus loco allegato, *ab Orcadibus Thulen uſqve qvinq; dierum & noctium navigationem eſſe,* dicunt. Verum incerta hæc menſura nobis eſt, cum ignoremus qvid & qvantum veteres per diei unius navigationem intellexerint; cum illa pro vi pellentis venti majore vel minore, pro qvalitate navigii & id genus cauſis aliis varia eſſe ſoleat: ſicuti

(b) l. 4. 16. (c) cap. 25. (d) lib. 2 76.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [48] - 36
PUBLIC DOMAIN

ſicutiPtolemæus qvoq; monet (e) Licet Theophil⁹ apud eum aſſerat unius diei civilis navigationem, ſi recta fiat, mille ſtadiorum eſſe, hoc eſt: duorum graduum, ſive milliarium Germanicorum triginta. Alii ad determinandas locorum diſtantias ſtadia adhibent, qvorum rationem facile deprehendimus cum ex Plinio (f) conſtet, *ſtadium centum viginti qvinqve Romanos efficere paſſus, hoc eſt, pedes ſexcentos viginti qvinqve.* qvorum 20000 vel 4000 paſſus ſeu 32 ſtadia juxta communem Geographorũ ſententiam miliare Germanicum conficiunt. Qvem modum dimetiendi intervalla locorum obſervant Græci, & inter illos Eratoſthenes, ex qvo Strabo(g) à Boryſthene ad circulũ qvi per Thulen

(e) Geog. 1. 9. (f) l. 2. 23. (g) l. 1. pag. 36.

tranſit, ccIↃↃ cIↃ IↃ hoc eſt, undecies mille & q̃vingenta ſtadia, facit. Plinius latitudinem terræ deſcribens in Thule ſubſtitit & ex Iſidoro ad Thulen adjecit XII. c. M. L. Omnes in eo conveniunt, qvod ſita ſit Thule in Septentrione & ultra eam ſit mare glaciale: qvod cum late pateat, ut habeamus qvo curſum dirigamus, ſitum iſtius inſulæ ad celebrem Europæ locum comparans Mela (h) *Belgarum litori oppoſitam* tradit. Et Tacitus cum claſſis Romana circumnavigaret Britanniam *Thylen diſpectam* ait.

In his qvi Thulen à maximo die deſcribunt, in primis Pytheas rurſum nominandus occurrit, qvi, iisdem teſtibus, diem ſemel de anno Thulen illuſtrare docuit. Nimius hic Pytheas eſt; nec mirum

l. 3. c. 6.

mirum, ſeqvitur enim id ex ſpheræ ratione, cum Thulen Arcto directè ſubjectam ſtatuerit, ut paulo ante vidimus. Aliqvanto meliora produnt Mela (i) *in ea, Thule, qvod ſol longe occaſurus exurgit, breves utiq; noctes ſunt, ſed per hyemem ſicut alibi obſcuræ, æſtate lucidæ, qvod per id tempus jam ſe altius evehens, qvanqvam ipſe non cernatur, vicino tamen ſplendore proxima illuſtrat: per ſolſtitium vero nulla, qvod tum jam manifeſtior, non fulgorem modo, ſed ſui qvoq; partem maximam oſtentat;* & Solinus (k) *in qva æſtivo ſolſtitio, ſole de cancri ſydere faciente tranſitum, nox pene nulla: brumali ſolſtitio perinde nullus dies, ut ortus junctus ſit occaſui.* Procopius (l) negat ſolem ſolſtitii (æſtivi) diebus accedentem, ſub terras

(i) l. 3. 6. (k) 25. (l) 2. edit. Grot. p. 260.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [51] - 39
PUBLIC DOMAIN

terras se qvadraginta dierum circuitu mergere, sed perpetuo extare fulgore. A qvo non multum abit Dionysius Affer. (m)

Πολλὴν δὲ παρτέρωσε τα μὼν
ὁδὸν ὠκεανοῖο,
Νῆσόν κεν Θύλην εὐεργέϊ νηὶ
περήσαις.
Ἔνθα μὴν ἠελίοιο βεβηκότος ἐς
πόλον ἄρκτων,
Ἦμαρ ὁμῶς καὶ νύκτας ἀειφανὲς ἐκκέχυται πῦρ.

Inde autem ulterior multum si
nave secabis
Occanum, Thulen praeterlabere jacentem.
Qvam sol arctoum propius
cum scandit ad axem,
Perfundit jubare assiduo
noctesq; diesq;.

Rescivere eqvidem hi, qvæ de lucis tenebrarumq; rationibus, ut sunt

(m) de situ orbis.

sunt in Septentrione & zona frigida, admirandis, rerum periti prodiderunt: licet fabulis similiora videantur iis, qui neq; ex Astronomia, neq; propriis oculis, rem ita se habere didicerunt. Ptolemæus (a) circa medium Thules, longissimum diem viginti horarum esse voluit. ἡ μὲν οὖν Θούλη τὴν μεγίστην ἡμέραν ἔχει ὡρῶν ἰσημερινῶν κ. *Thule igitur insula maximum diem habet horarum æquinoctialium viginti.* Ab hoc ne latum quidem ungvem Stephanus (b) recedit, ubi sic scribit: Θούλη, νῆσος μεγάλη ἐν τῷ Ὠκεανῷ ὑπὸ τὰ ὑπερβόρεια μέρη, ἔνθα τὴν θερινὴν ἡμέραν ὡρῶν εἴκοσιν ὁ ἥλιος ἰσημερινὰς ποιεῖ, τὴν δὲ νύκτα τέσσαρας· τὰς δὲ χειμερινὰς ἰσανύκτιον. *Thule insula magna est in Oceano sub plaga hyperborea, ubi sol diem æstivum*

F

(a) l. 8. tab. 1. (b) de Urbib. in vocab. Thule.

vum horarum viginti æquinoctialium efficit, noctem vero quatuor : hybernas noctes diesque contra.

Hæc de longissimo die : nunc qvid de natura loci & ingenio Thulitarum auctores proferant, audiamus. Pytheas Massilienſis apud Strabonem, vertente Xylandro (c) *Nimirum fructuum mitiorum nihil, animaliumq; mansvetorum parum ibi nasci, milio & aliis oleribus, fructibus & radicibus homines vesci: ubi frumentum & mel provenit, ibi inde etiam potum fieri: frumentum, qvia soles non habeant puros, comportatis magnas in domos spicis contundi: alias ob solis radiorum defectum & imbres reddi inutiles.* Solinus (d) paulo aliter : *Thule larga & diutina pomona copiosa est. Qvi illic*

(c) p. 201. (d) c. 25.

illic habitant principio veris inter pecudes pabulis vivunt, deinde lacte. In hyemem autem conferunt arborum fructus. Utuntur fœminis vulgo, certum matrimonium nulli. Procopii locum ex hiſtoria Gothica (e) infra adducemus, cum in confeſſo ſit, illum ſub nomine Thules, eoq; genuino, Scandinaviã deſcripſiſſe, qvanqvam ſint, qvi id negare ſuſtinuerint.

Ptolemæum qvod attinet, qvi Thules deſcriptionem adfert coſmographicam: videtur is nullam diligentiam, qvanta qvidem illis temporibus fieri potuit, in ejus ſitu determinando omiſiſſe. Primo (f) qvidem aſſignando ei certam longitudinem & latitudinem: qvod ſcilicet medium ejus, ſitum ſit ſub meridiano 30. cum aliqvâ inſuper parte, & ſub parallelo 63. Secundo (g) ſitum ejus comparando ad Alexandriam, qvod diſtet ab ea verſus occaſum horis duabus.

(e) l. 2. (f) Geog. 1. c. 3. (g) l. 8. Tab 1.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [55] - 43
PUBLIC DOMAIN

CAPUT TERTIUM

Thulen veterum Scandinaviam esse ostendit.

THule Procopio Scandinavia. Fylkes Konger / Skatt Konger / Enwoldz Konger *qui.* Falsterbo. Nortkin. *Dies longissimus in Thule diversus. Jomala Deus Biarmiensium. Thulitæ frigoris tolerantes. De Svionibus Tacitꝰ non aliter, quam de Thule Pytheas, Mela & Solinus. Terra Belgis opposita quæ. Ratio victus Scandianorum & pabulandi qualis. Matrimonia & populi multitudo. Thule Ptolemæi Scandinavia. In ea nominis Thules reliquiæ.*

VIdebimus jam, antequã longius provehamur, anne ex his quæ hactenus dicta sunt, Thulen in conspectu habeamus. Quoquo versũ oculos vertimus, nullam terram cernimus

mus, in qvam adducta veterum ſcriptorũ loca rectius qvadrent, qvam in vaſtam illam peninſulam Scandinaviam, qvæ maxima in Septentrione regna Svetiam, Gothiam & Norvegiam complectitur.

Procopius loco citato, Thulen deſcribit in hunc modum: *Eſt Thule ita ingens inſula, ut decuplo Britanniam vincat, diſtans ab ea longo intervallo in Septentrionem. Magna pars inſulæ inculta ſqvalet: qva habitatur in tredecim nationes diviſa, eſt & ſuus unicuiq; Rex. Rès mira qvotannis ibi cernitur. Sol per æſtatem, qvo tempore nobis ſolſtitium eſt, qvadraginta dierum circuitu nunqvam ſub terra ſe mergens, ſed perpetuo extans fulgore: ſex menſibus ſerius, cum brumam dicimus, idem totidem ſpatio dierum nulla parte inſulæ*

ſulæ apparens, ita ut immenſa nox urgeat populos, & velut ferales tenebræ nulla inter ipſos humani moris commercia permittant, & qvæ ſeqvuntur. Nam prolixus eſt hic locus ſed illuſtris valde, & qvo non alius magis perſpicue docuit, qvæ terra ſit, qvam veteres per Thulen intellectam voluerunt. Primus eſt Procopius qvi graphicè hac deſcriptione Thulen eſſe Scandinaviam demonſtravit. Et primo qvidem ex ejus amplitudine, qvam Britannia aliqvot vicibus majorem ſcribit, qvod verum eſſe, globum inſpicienti ad oculum patebit. Qvin & reliqva qvæ ſeqvuntur mire conſentiunt cum antiqvitatibus noſtris, quæ Scandinaviæ ſaltus & ſylvas, easq; ſatis profundas & invias, minime tacent. Qvid de tredecim nationibus dices, qvarũ unicuiq; ſuus

ſuus eſt Rex? nonne hi ſunt qvos dixere veteres Fylkes Kongar & Schatt Kongar/ hoc eſt, *Reges provinciales* ac *vectigales*, qvibus præfuere Enwelds Kungar ſive Monarchæ, qvales fuere Reges Upſalienſes, de qvibus inter alios vide egregium Snorronis locum in vita Ingaldi. (h) De ſole qvadraginta dierum circuitu ſupra finitorem extante, qvid dicendum? qvum ex hisce verbis ſententiam noſtram qvidam infirmare conentur. Hos inter Pontanus, qvi *ponamus*, inqvit, *qvod concedi ſibi Gothus vult* (Joannem Magnum intelligit) *Thulemarchiam intellectam Procopio, qvomodo jam reſpondebunt ſeqventia, qvibus indicat univerſis hanc Thulen incolentibus circa ſolſtitium æſtivale non occidere ſolem?* Concedatur

(h) p. m. 85.

datur etiam inqvam ego ; non Thulemarchiam ſolum, ſed & totam Scandinaviam Procopio intellectam, & optime reſpondebunt qvæ Hiſtorico memorantur. Longiſſimo enim tractu Scandinavia à Scaniæ promontorio Falſterbo in Septentrionem ad promontorium Nerkin ultra 70. longitudinis gradum excurrit ; unde mirum non eſt aliam atq; aliam eſſe maximi diei in diverſis Scandinaviæ locis longitudinem : qvandoqvidem ut magis vel minus boreo vertici accedunt, noctes diesq; habent longiores & breviores. Illi enim qvi ſub latitudinis gradu 60. habitant, diem longiſſimum habent circiter horarum 18. Qvi ad 63. gradum verſus boream recedunt, illis longiſſimus dies eſt horarum viginti: ubi vertex borealis eſt ad 66. gradum

dum cum ſemiſſe ſublatus, ibi ſolem ſolſtitii diebus non occidere deprehendes. Qvod ſi ad 67. gradum elevatus fuerit, conſpicuus erit ſol per integrum menſem. Et per bimeſtre ſpatium habebunt ſolem continuo extantem, qvibus polus elevatur ad gradus 69. cum ſemiſſe. Itaqve ulteriora Thules noſtræ incolentes non ſolum qvadraginta per dies; ſed ſpatio multo longiore circa ſolſtitium pernoctem habent ſolem ſupra finitorem. Biarmienſes puta & Scritifinnos, qvos exteri non raro religionis, & Dei illorum *Jomalæ* viſitandi cauſa adeuntes; ſuos, cum reverſi eſſent, de hoc naturæ miraculo fecerunt certiores. Ut non injuria Mela dixerit, *ſolem per ſolſtitium ſui qvoq; partem maximam oſtentare: & ortum junctum*

Etum esse occasui, Solinus. Hoc qvia in omnibus locis Scandinaviæ non fit, ideo illa non erit Thule? Hoc qvomodo inferre possint adversarii non video. Pontanus qvo magis faueat causæ suæ, Thulen intra Thulemarchiæ limites includit: qva in re & Procopio & Gotho insignem facit injuriam. Ulterius Thulen suam extendisse Procopium ipse docet; cum, in 13 nationes, regibus totidem gaudentes, divisam dicat; cujus incolas etiam Scritifinnos facit: Lappones eos, vel his vicinos interpretor: qvibus circa solstitium apparere solem per totam noctem, cum doctrina sphærica ostendit, tum illi referunt, qui quotannis ad interiora sinus Bothnici piscatum proficiscuntur. Et cum ad extrema peninsulæ nostræ extendendam esse

esse Thulen Procopius doceat, nil verius est qvam qvod scripsit Plinius aliiq;: (i) *à Thule ad marc concretum, unius diei navigatio est.* Cæterum ad Procopium redeamus: *omnium* inqvit, *qvæ Thulen colunt nationum uni Scritifinni vitam agunt ferinæ haut absimilem, non vestiti teguntur, non calceati ambulant.* Hoc Pontanus *in illo cæli rigore* concedere se posse negat. Nos autem ex adverso hic diligentiam Procopii non parum admiramur, qui in oriente constitutus non nesciebat id, qvod in extremo Septentrione obtinuit. Etenim non vana esse qvæ de Scritifinnis prodidit Procopius optime nos scimus, qvi id genus hominum non raro nudo pectore, & discalceatum fere, eam frigoris

(i) l 4. 16.

vehementiam, qvam alii bene veſtiti ægre tolerant, contumaciter eludere videmus. Nudos eos dixit, non qvod nullas omnino habeant veſtes, (ait enim ipſe *veſtiuntur pellibus*) ſed qvod tales habuerint hodieq; habeant, qvæ vix aliorum corpora à tanti injuria frigoris defenderent. Voluit & hic ſine dubio, cum pauperiem, tum duritiem gentis exhibere Hiſtoricus. Unius de hac gente exemplum placet proponere. Ille cum rigerent omnia, ſeminudus foris agens, calceos habebat ex cortice betulino, ſuppoſita ex ligno ſolea, eosq; ſatis raros & nivibus pervios, ut ex qvibus ante pollex pedis, pone calcaneus promineret. Is tamen, tantum aberat ut frigus ſentiret, ut potius ex curſu æſtuare videretur; qvare non potui ego, credo

nec

nec posse alios, tam immanem corporum in ista gente contra frigus pertinaciam non mirari. Tacitus (k) de Germanis fere non aliter loqvitur, qvam de Scritifinnis Procopius: *tegumen omnibus sagum, fibula, aut si desit, spina concertum, cætera intecti:* qvis ita vestitos non nudos diceret? Fœminis per Scandinaviam universam, præcipue illis, qvæ sunt sortis vulgaris, non aliæ sunt laboris atq; frigoris tolerantiores; utpote quibus indusium lineum cum subligaculo plerumq; sufficit ad frigus hybernum propulsandum. Tacitum eas describere diceres, ubi de fœminis Germanorum sic scribit: *partem vestitus superiorem in manicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos, sed & proxima pars pectoris patet:* nec

(k) Germ. c. 17.

nec non Cœsarem (l) qvando de Svevis ita loqvitur. *In eam se consvetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neq; vestitus, præter pelles, habeant qvidqvam, qvarum propter exiguitatem, magna est corporis pars aperta.* Ex qvo fit, ut spreta mollitie & teneritudine, corpora sexus ille hic plerumq; valida habeat; & puerperia non usq; adeo difficilia sentiat, sobolemq; generet, â prisco sangvine Gothico non degenerem, sed genus conservet, ut sit, sicut Poëta olim cecinit:

Gens durata gelu, gens insuperabilis armis.

Hausisse hæc omnia Procopium ex annalibus Gothorum, qvorum historiam scripsit, maxime verisimile est: qvi qvidem hæc melius scire, qvam exteri aliiq;

ab

(l) Bel. Gal. 41.

ab his regionibus longissime remoti, & locorum in Septentrione notitiam mancam mutilamqve cosecuti. Neq; enim credibile est avitam Gothos patriam, ejusqve priscum nomen ignorasse; qvod nomen illis adimere, qvibus jure debetur, & obtrudere aliis, qvi illud agnoscere nec volunt nec possunt, nescio qvæ dementia sit.

Cæterum cum descriptio Thules Procopii talis sit, ut eam Scandinaviæ competere negare non possint; affirmant qvidem per Thulen Scandinaviam intellectam Procopio, aliis vero ex scriptoribus antiqvis non item. Qvare operæ pretium nos facturos existimamus, si & eos ostendamus sub Thules nomine Scandinaviam descripsisse.

Multa

Multa de miris noctium dierumq́; in Thule vicibus ſcripſerunt multi; ut Antonius Diogenes, Pytheas, Mela & Solinus, cum qvibus ſi ea, qvæ de Svionibus Tacitus reliqvit, conferas, deprehendes eos, qvamvis ſub diverſis nominibus, eandem tamen terram deſcripſiſſe. *Trans Svionas*, inqvit Tacitus, (m) *aliud mare, pigrum, ac prope immotum, qvo cingi claudiq; terrarum orbem hinc fides; qvod extremus cadentis jam ſolis fulgor in ortus edurat, adeo clarus, ut ſidera hebetet. Sonum inſuper emergentis audiri, formasq; Deorum, & radios capitis aſpici perſvaſio adjicit. illuc uſq; (& fama verâ) tantum natura.* Pigrum illud & prope immotum mare, qvodnam qvæſo eſt aliud, qvam qvod Plinius ex Pythea

(m) Germ. c. 45.

Pythea concretum, & à Thule unius diei navigationem abeſſe, dixit. Hoc Tacitus orbem terrarum exiſtimat claudi terminariq;; nec ſine cauſa, cum *illuc usq; (& fama vera) tantum natura.* Vides mi Lector, ubi finem naturæ Tacitus, ibi pulmonem ſuum, de qvo ſupra, Pytheas locat, ad qvem, velut ad locum ubi deficeret rerum natura, ſubſtitit. Nam ut habet Strabonis interpres: (n) *Hic*, Pytheas, *Septentrionalem Europam univerſam usq; ad fines mundi perluſtraſſe ſe dicit.* Pergit Tacitus, & poſt deſcriptos à mari vicino Svionas, etiam à cœli ratione eos deſcribit: *extremus cadentis jam ſolis fulgor in ortus edurat, adeo clarus ut ſidera hebetet.* Sic Mela Thulen ſuam: *Sol longe occaſurus exurgit*: velut emendat Iſacus Voſſius, *Sol haud*

 longe

(n) p. 104.

longe occaſus exurgit. Solinus clarius, *ortum junctum occaſui* dicit, tempore puta ſolſtitii æſtivi. Qvod in illis locis evenit, ubi apparentium parallelorum maximus eſt tropicus æſtivus; ſicut in Tornia, emporio ſito in littore, ſinus Bothnici interioris. Omnium optime de longiſſimo die Thules Ptolemæum prodidiſſe cenſemus; qvi illi horas æqvinoctiales viginti tribuit. Qvod tamen de locis ejus inter Septentrionem & Auſtrum, ſub gradu latitudinis 63. eſt intelligendum: cum remotiora à polo breviorem, viciniora productiorem diem habeant, ſicut ante diximus.

Mela, *Thulen Belgarum litori oppoſitam dicit.* Nulla autem terra Belgis magis è diametro eſt, qvam Scandinavia. Cluverius hunc

hunc locum valde ſolicitat, qvo fretus tantum non Jo triumphe canit, verum ante victoriam. Et nemo, qvod ſperem, neget Scandinaviam magis qvam Islandiam litori Belgarum oppoſitam eſſe. Inſpice globum & mecum facies. Videbis enim Belgarum meridianum, Thulemarchiam recta petere, ac deinde cætera Scandinaviæ pertranſire. Oppoſita qvidem & Islandia Belgio eſt, ſed obliqve, nempe ſi per Britannias lineam ducas. Imo Gronlandia Frislandiaq;, & ſi qvas habet inſulas ultimum oceani latus, eo pacto oppoſitæ erunt. Sola vero Scandinavia, & maxime illa pars, qvæ nominis Thules reliqvias habet, Belgis è regione eſt. Inter has liber oceanus fluit, nullæ inſulæ, nec aliud qvidqvam interjacet, qvo minus conſpici in-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [71] - 59
PUBLIC DOMAIN

ter se hæ terræ possent, si qvis, tanto intervallo diffita, oculis percipere posset.

Inventam jam Thulen propius adeamus, visuri num illis gaudeat bonis, qvibus illam beari Strabo & Solinus produnt. Qvæ de messis collectione in domos magnas Strabo habet, optime cũ consvetudine nostræ agriculturæ conveniunt. Domos, qvarum ille meminit, non esse alias existimo, qvam horrea; hoc est, lingva nostra lader/in qvibus messes nostras recondimus & triturамus. Sed & cætera qvæ illic Strabo habet, nostram vivendi rationem sapiunt. Nempe nil nostris freqventius qvam potum ex frumento & melle conficere, antiqvissimo majorum nostrorum instituto. Qvi id genus potionis è cornibus, ab labris affa-

bre

bre argento circumcluſis, amicis & convivis propinabant. Qvæ vero Solinus Thulitis tribuit, eorum pleraq; neſcit Islandia, Scandinavia agnoſcit. Pomonam qvam Thulitis adſcribit Solinus nos copioſam habemus, Islandi vero, ut teſtis eſt Arngrimus (o) nullam. *Qvi illic habitant*, verba ſunt Solini, *veris principio inter pecudes pabulis vivunt, deinde lacte.* Veritatem eqvidem ſub fabula video. Reſpicit hic ad morem veterum Thulitarum, multis in locis, qvæ ſylvis & paſcuis abūdant, ad noſtra usq; tempora obtinentem. His nihil freqventius eſt, qvam primo vere pecora in longe diſſitas ſilvas abigere, & ubi paſcua occurrebant opima, ſubſiſtere, ſibiq; caſas & tuguriola, contra æſtum

(o) Spec. Island. p. 95.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [73] - 61
PUBLIC DOMAIN

ſolis & imbrium injuriam, extruere. At Thulitas cum jumentis juxta pabulo vixiſſe, id inter ea referimus, qvæ ex longinqvo veniens fama jactat, poſtqvam nugari cœpit. Eqvidem in magna annonæ caritate agreſtes ex corticibus abietum panem parant, qvo in iſta neceſſitate vitam tolerent. An id commento auctum depravatumq; ad aures Solini pervenit? Hunc errorem tanto facilius in ſcriptore ab axe noſtro longius remoto excuſamus, qvanto turpius eum errare Bremenſem(p)videmus, qvi *Islandos communi ſtrato & victu cum pecoribus ſuis gaudere* ait. Verum qvæ ſubjicit Solinus de incertis matrimoniis, meræ conjecturæ ſunt, ex celebrata ſcriptoribus inſigni gentis iſtius fœcunditate ori-

(p) Edit. Lindenb. p. 150.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [74] - 62
PUBLIC DOMAIN

originem trahentes. Atq; hinc esse videtur simile Bremensis de Scandianis judicium, nisi qvod acerrimos violati matrimonii vindices fuisse eos memoret, ubi sic scribit,(q) *In sola mulierum copula modum nesciunt. Qvisq; secundum facultatem virium suarum duas aut tres, vel amplius simul habet; divites & principes absq; numero. Nam & filios ex tali conjunctione genitos habent legitimos, capitali vero mulctatur pœna, si qvis alterius uxorem cognoverit, aut vi oppresserit virginem.* Cultior fuit Septentrio noster etiam antiqvissimis temporibus, qvam ut ulla ejus natio se isto crimine, de qvo Solinus refert, polluerit. Neq; qvidqvam de eo habent antiqvitates nostræ, vitia non minus qvam virtutes hominum indicare solitæ.

(q) p. 140.

Essent fateor multa qvæ sententiam nostram non leviter adstruerent, si modo adferri illa in præsens possent: sufficiat Ptolemæum adduxisse, cujus geographica descriptio Thulen tam evidenter nobis ante oculos ponit, ut nulla nobis causa relinqvatur, de situ ejus amplius dubitandi. Etenim trigesimus primus meridianus,& sexagesimus tertius parallelus, qvos competere mediis locis Thules Ptolemæus asserit, in Scandinavia concurrunt; qvæ ab Alexandria occasum versus distat duabus horis,omnino sic ut Thules situm determinavit Ptolemæus. Islandia vero, qvam recentiores Thulen esse volunt, ab Alexandria horis fere qvatuor removetur. Cætera consulto præterimus, ne modum dissertationis excedere velle videamur: paucis

paucis tantum exceptis de nomine, qvibusdam in locis Scandinaviæ adhuc ſuperſtite; cum ex eo petita argumenta, in rimandis antiqvitatibus, non omnino contemni ſoleant. Scilicet partem Scandinaviæ nomen Thules, vel potius aliqvas ejus reliqvias ſervare. Nam non ſolum inſignis ille tractus *Telemarchia* hic reperitur, de qva ſupra, ſed & inſula, vel ſcopulus prope Hellemſtadium *Thuyle*: & præterea inter Scaniam & Norvegiam Arngrimo teſte, iſthmus ſive promontorium, qvod Thulends dicitur. His itaq; iuvictis argumentis conſtare exiſtimamus Thulen eſſe eandem qvam Scandinaviam vocamus; qvam ſi cui cum Pontano *ambiguitatis vitandæ gratia Thulen Procopianam* vocare placeat, per nos licebit: modo ſciamus Procopianam Thulen eam eſſe, qvam veteres ſcriptis ſuis celebrarunt: Pontaniam vero & Cluverianam eſſe Islandiam cui auctores iſti nomen Thules falſo vendicare voluerunt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [77] - 65
PUBLIC DOMAIN

CAPUT QVARTUM

Rationes contra ſententium examinat & refellit.

CLuverii ſententia. Procopius defenditur & Ortelius. Ptolemæus de Thule. Argumenta Cluverii. Litoralia Scandiæ Ptolemæo inſulæ. Parallelus Thules idem qui ſinus Venedici. Plinio ultimus Sarmatiæ parallelus per Thulen ducitur: quorum neuter pertinet ad Islandiam. Tacitus. Juvenalis explicatus. Septentrio an occaſus Solſtitialis veteribus. Strabo expoſitus. Jornandes. Iſidorus. Pontani rationes. Thule Malbranci, Hunlindomenſis, Myritii, Pol. Virgilii, Hectoris Boëthii, Bocharti, Mercatoris & Spedonis. Camdenus. Thule Heinſii, Fornelii & Verelii.

Hacte-

HActenus satis evidenter, ut speramus, Thulen veterum Scandinaviam esse probavimus. Qvo vero successu, qvibusq; rationibus id negarunt Cluverius, Pontanus aliiqve, nunc dispiciamus.

Philippus Cluverius (a) ut Islandiam veterum esse Thulen, orbi erudito persvadeat, nervos omnes intendit, & se in omnes formas, tanqvam alter Vertumnus, convertit. Procopium ex Palestina Græcum scriptorem, & Abrahamum Orteliũ magni nominis Geographum, (qvi sententiam Procopii non probat modo; sed argumentis etiam nonnullis confirmavit,) erroris convincere satagit, qvod Thulen non Islandiam, sed Scandinaviam esse asseveraverint. *Mirari se non satis*

 posse,

(a) German. Antiq. 3. 39.

posse, ait Cluverius, *tantam potuisse Ortelium tribuere Procopio auctoritatem, uti contra omnium cæterorum simul Latinorum, simul Græcorum, fidem omnem damnaret.* Nos vero multo magis, multoq; æqvius miramur, tantam potuisse Cluverium tribuere conjecturæ suæ probabilitatem, uti annalibus tum Gothicis, unde ista habuit Procopius; tum Islandicis, insulam illam, cui Islandia nomen factum, omni ævo usq; ad seculum post Christum natum nonum, desertam plane ac ignoratam fuisse ostendentibus, fidem omnem adimeret: malletq; scriptorum omnium tam Latinorum qvam Græcorum, de Thule testimonia ad Islandiam suam, incolis ejus neqvicqvam protestantibus, detorqvere, qvam variæ aut genuinæ sedi Scandinaviæ relinqvere.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [80] - 68
PUBLIC DOMAIN

re. Non negat Cluverius Procopium sub Thules nomine Scandinaviam describere; nimirum qvia non potest: sed nomen id juxta auctores Procopio vetustiores, Islandiæ non Scandinaviæ convenire contendit. Hoc ipsum qvam à vero alienum sit, postea ordine videbimus. Rationem Ortelii petitam à situ Thules Ptolemaico, variis modis infringere laborat. Latitudinem sexaginta trium graduum Thulæ à Ptolemæo assignatam, Scandinaviæ aliqva ex parte convenire concedit, utpote qvæ à gradu qvinqvagesimo qvinto latitudinis, ad septuagesimnm secundum se fere exporrigit. At longitudinem qvam ei Ptolemæus assignat, eidem convenire posse negat. Qvia *primo*, cum Ptolemæus partes Germaniæ maxime occiduas

poſuerit ſub gradu viceſimo octavo, Thules vero maxime orientales, ſub gradu triceſimo primo & beſſe inſuper; relinqvitur Scandiam, ſi Thule ſit, exigua ſui parte Germaniæ oppoſitam fore; reliqvum vero occidentem verſus, ſupra Britanniam extendi, cum tamen totam Scandinaviam, Germaniæ objectam conſpiciamus, & nihil ejus Britanniæ meridianum attingere. *Deinde*, Hac ratione, Scandias Ptolemæi (qvarum media ultra decimum gradum à Thule ortum verſus diſtat) longe in continentem Sarmatiæ transponi. *Tertio*, Scandiam Ptolemæi non eſſe Scandinaviam Plinii, qvod tamen alias affirmat Ortelius, qvem his abſurdis & antiphaticis involvi dicit Cluverius, *dum temere errori Procopii*, ut ſunt ejus verba, *patrocinatur*,

natur. Verum Ptolemæum, veteres loca Septentrionalia minus explorata habentes ſecutum, inſulas pro continentis partibus deſcripſiſſe, ſitus illis à Ptolemæo aſſignatus evincit. Nam ſitus Thules, occidentalibus Norvegiæ partibus convenit, Scandiæ Ptolemæi orientali lateri Sveciæ: Ptolemæus cui loca intermedia incognita fuere, oceanum interfundi credebat. Junge hos terminos competente linea, & Scandinaviam Plinii in vero & naturali ſitu repreſentatam habebis; utpote qvæ inter Rheni & Viſtulæ oſtia, Germaniæ è Diametro ſit objecta, ut neqve occidentales ejus partes Britanniæ, neq; orientales Sarmatiæ meridianum invadant: Neq; alia ſit Scandia Ptolemæi, à Scandinavia Plinii: contra qvam diſtorte ac perperam infert

infert Cluverius. Britannia ſub viceſimo longitudinis gradu, recta qvidem in Septentrionem porrigitur; verum, qvia omnibus veteribus perſvaſum erat, Thulen ſupra Britanniam conſiſtere; ideo Septentrionalia Britanniæ, nonnihil orientem verſus, ut Thule illis eſſet oppoſita, reflexit, qvæ ſi genuinæ ſuæ ſedi reſtituas, obtinebit utraq; terra naturalem ſuam faciem. Nam hac ratione Thule & Belgarum litori, juxta Melam opponitur, & Britanniæ meridianis nulla ſui parte ſubjicitur; Qvod cum de Scandinavia verum eſſe videamus; de Islandia autem nullo modo: qvid aliud ſeqvitur, qvam Scandinaviam genuinam veterum eſſe Thulen. Cluverius tamen cum ſupercilio, *nos* inqvit, *qvicqvid Procopius Thulen appellaſſe*

laſſe voluerit, parvi facientes, verum illam genuinam vetuſtiorum Græcorum ſimul ac Latinorum monumentis celebratiſſimam Thulen, aſſeveramus eſſe Islandiam; probare q; id ex omnibus conabimur. Verum non ſupercilio & ſtomacho; ſed rationibus opus eſt, ut hoc faciat Pomerellius. Videamus qvid ex ipſo Ptolemæo proferat in ſuæ ſententiæ firmamentum. Ptolemæo (b) ultimum cogniti orbis parallelum, per Sarmatiæ ſimul oram maritimam & Thulen ducit. Mare autem Sarmaticum facit ſinum Venedicum, qvem nos Finnicum appellamus. *Hoc* inqvit Cluverius, *ſi recta ratione conſideretur, veriſſimum apparebit, ſin minus falſiſſimum eſt.* Qvod perinde eſt, ac ſi diceret: hoc ſi juxta meam ſententiam explice-

(b) Geog. 3. 5.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [85] - 73
PUBLIC DOMAIN

tur, verum eſt, ſin minus falſiſſimum. Nempe, ſi parallelus per Thulen ductus, non per intimum maris Venedici receſſum, qvem ſub parallelo ſexageſimo tertio ponit Ptolemæus, ſed per Sarmatiæ extremam oram, juxta fretum Naſſovicum & novam Zemblam tranſire ſinamus: cum ea hoc tempore ſit ultimus Sarmatiæ Europeæ, & cogniti orbis terminus, ad ſeptuageſimum parallelum aſſurgens. Hunc putat Cluverius Ptolemæum ſubſtituere debuiſſe, qvia eum per ſuam Thulen, hoc eſt, Islandiam tranſire opinatur. Verum malæ cauſæ patrocinium tranſverſum egit hominem, ut eo implicetur, unde extricare ſe neqveat. Dicit enim ſe probaturum ex omnibus veterum ſcriptis, Islandiam eſſe Thuen: & primo qvidem ex Ptolemæo;

mæo; ſed cum eo ventum eſt, atq; id qvod promiſerat, præſtare non poſſe ſe deprehendit, nodum Gordii, loros incidendo, ſolvit; elevata ſcilicet Ptolemæi fide. Hoccine vero Cluveri eſt ex Ptolemæo veterum Thulen monſtrare? Ptolemæus parallelum ſexageſimum tertium characteribus ſuis optima fide deſcribit, qvod videlicet diem longiſſimum horarum viginti efficiat; qvod per litora ſive per intima ſinus Venedici tranſeat; atq; ulterius occaſum verſus, mediis partibus Thules incumbat. Qvid horum jure infirmare poteſt Cluverius? Qvia inqvit, Plinius ſeptuageſimum parallelum ducit per ultima Sarmatiæ pariter ac per Thulen inſulam. *Ab oſtio Tanais* inqvit, (c) *nihil modicum*

(c) 2. 108.

diligentisſimi autores fecere: Artemidorus ulteriora incomperta existimavit, cum circa Tanaim Sarmatarum gentes degere fateretur ad Septentrionem versus. Isidorus adjecit XII. C. M. L. usq; ad Thulen, qvæ conjectura divinationis est. Ego non minore qvam proxime dicto ſpatio, Sarmatarum fines noſci intelligo. Tanais oſtium qvinqvageſimo ſubjacet gradui, duodecies centena millia paſſuum, (ſexaginta millibus in ſingulos gradus diſtributis) faciunt gradus viginti, qvi qvinqvaginta prioribus adjecti, colligunt ſeptuageſimum latitudinis gradum, qvem propius Islandiam qvam Scandiam attingere exiſtimat Cluverius. Atqvi oportuit virum alias doctiſſimum conſiderare Ptolemæum, Thules, qvatenus ipſi cognita partibus mediis paral-

parallelum tribuere ſexageſimum tertium, Plinium vero qvi ex Pythea Maſſilienſi didicit Thulen longe ulterius in Septentrionem extendi, per ulteriora ejus parallelum ſeptuageſimum ducere. Ptolemæus Sarmatiæ terminos ſuo tempore cognitos deſcribere contentus fuit: qvem cum ad accuratam hujus temporis geographiam aſtringere anitatur Cluverius, nihil aliud ratiocinatione ſua efficit, qvam ut oſtendat Scandinaviam eſſe antiqvorum Thulen, licet id nullo modo intendat. Nam cum uterq; dictorum parallelorum per Scandiam tranſire, neuter vero Islandiam attingere deprehendatur, utpote cujus meridiana litora, vix ſexageſimum qvintum, borealia, vix octogeſimum octavum aſſeqvantur, ut videre licet ex ta-

bula Geographica Islandiæ Georgi Caroli Flandri, qvam novo Atlanti inſeruit Janſonius: qvid aliud ſeqvitur qvam ut Scandinavia ſit vera Thule, & fallatur data opera Cluverius, qvi Islandiam eſſe veterum Thulen aſſeverat.

Ut autem Thulen à ſede ſua, ad occaſum ſolſtitialem, ubi Islandia viſitur, transferre poſſit Cluverius; adducit Tacitum, Romanæ claſſi Britanniam circumvectæ diſpectam eſſe Thylen, affirmantem, eumq; explicat Juvenalis hiſce ex Satyra ſecunda verſibus:

--- --- *Arma qvidem ultra*
Litora Juvernæ promovimus, &
modo captas
Orcadas, ac minima contentos
nocte Britannos.

Ultra Britanniam inqvit Cluverius, *Orcades & Iberniam dum Romanos*

manos navigasse ait, satis aperte indicat, non in orientē versus Norvegiam, sed in occidentem solstitialem ad Islandiam accessisse. Verum si hanc Juvenalis descriptionem seqvi placeat, alium classis Romana cursum tenuit. Apparet enim eam, primum ex meridianis Insulæ partibus, ad Iberniam perrexisse; hinc ulterius versus Septentrionem vectam, invenisse Orcadas, & demum ad eam Britanniæ partem, qvæ minima contenta sit nocte, hoc est, Britanniam minorem (qvæ qvia maxime borealis, ideo & noctes habet, qvam reliqva Britannia, minores) appulisse: inq; eo itinere dum Orcades præternavigaret, Scandiam, ut iis proximam, dispexisse. Neqve dubium est, qvin & idem contingere potuisset, si ratione contraria cursum instituere Romani

mani voluiſſent. Infirmior itaq; eſt hic vectis,qvam ut eo adhibito , Thulen occidentem verſus, amoliri qveat. Porro , cum & hoc obeſſe ſibi deprehenderet, qvod videlicet auctorum pleriq; à Pythea ad Plinium uſq;, Thules ſitum ſtatuunt eſſe à Britannia verſus Septentrionem: eo confugit,ut affirmet antiqvos, Septentrionis regionem feciſſe occaſum ſolis æſtivum;qvod uti probet,non uno modo labitur ; primo enim Strabonis locum (d) adducit. εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλαι περὶ τὴν Βρεττανικὴν νῆσοι μικραί· μεγάλη δ' ἡ Ἱέρνη, πρὸς ἄρκτον αὐτῆ παραβεβλημένη, *ſunt & alia circa Britanniam inſulæ ; magna autem Jerna, verſus Septentrionem juxta eam porrecta.* Hunc locum errore manifeſto ita accipit, ac ſi Strabo voluerit , Hiberniam ſitam eſſe, ipſi

(d) 4.p.201.

ipsi Britanniæ versus Septentrionem ; hoc est, juxta Cluverium, versus occasum solis æstivum. Qvæ Cluverii sententia si vera esset ; seqveretur cardinum mundanorum confusionem absurdissimam ab antiqvis mortalibus invectam fuisse; propterea qvod sita sit Hibernia Britanniæ versus occasum æqvinoctialem, verum tamen id ex hoc loco nunqvam probaverit Cluverius. Verba auctoris satis plana sunt ; scilicet *Hiberniam juxta Britanniam exporrigi in Septentrionem.* Nam Britanniam longitudine sua in Septentrionem extendi nemo negaverit ; juxta eam posita Hibernia , æqve in Septentrionem exporrigitur. Hæc tam clara sunt,ut mirer , summum virum data opera cæcutire voluisse. Alio deinde allegato loco Strabo-

nis, idem probare vult, exemplo Thules, qvam Strabo Britanniæ versus Septentrionem esse dicit, cum Islandia sit Britanniæ versus occasum solstitialem. Verum id qvod in qvæstione est assumit ad probandũ; qvare hoc exemplo nihil proficit. Ultimo tandem, ut evincat qvod intendit, nempe Thulen ad occasum solstitialem inveniri, ac propterea non aliam esse qvam Islandiam; devolvitur ad testimonia Jornandis Ravenatis, & Isidori Hispalensis, qvi nihil instituto nostro officere possunt, cum auctorum longe vetustiorum auctoritates illis opponere nobis in proclivi sit, ut ex præcedenti capite liqvere potest, ut vidimus. Nam ex priscis, non vero ex recentioribus Islandiam esse Thulen se probaturum promisit Cluverius.

Clu-

Cluverii sententiam amplectitur Pontanus in descriptione sua Daniæ; qvam ut probabilem faciat, multas paginas commentando implet operis sui. Ratio ejus, qvâ Islandiæ nomen Thules deberi credit, hæc videtur esse potissima, *qvia* inqvit, *teste Plinio, è Norvegia in Thulen navigatur*. Certe Plinio hic accidit, qvod non paucis accidisse videmus, ante & post eum aliis, accurata Arctoi orbis cognitione destitutis; qvi peninsulas, ut paulo etiam ante dictum nobis, & oras maritimas celebriores, qvarum fama ad aures eorum pervenerat, qvia ex una in aliam navigatur; insulas esse existimarunt. Inspiciamus locum ipsum. (e) *Sunt qvi & alias prodant insulas Scandiam, Dumnam, Bergos; maximamq; omnium Nerigon, ex qva in Thulen navigetur*

(e) 4. 16.

tur. Ex his vides Plinium Scandinaviæ tractus, & in his celebre illud Norvegiæ emporium Bergas, insulas fecisse, qvod nisi iniqvus nemo denegaverit mihi. Illum autem fama vulgari deceptum talia prodidisse, tanto minus mirum videri possit, qvod Adamus Bremensis, Plinio mille fere annis recentior, & in harum regionum degens confinio, Æstoniam & Curlandiam magnas in orientali maris Baltici litore sitas provincias, insulas esse pronunciaverit. (f) Qvis igitur qvæso non videt terram qvæ hodieq; Tellemarchia dicitur, insulam Plinium & à Nerigone, qvod nomen totius regionis est, perperam fecisse diversam, ex cujus plerisqve tam ad meridiem, qvam ad Septentrionem sitis locis

cis

(f) Hist. Eccles. c. 223. 224.

cis in Thulen, hoc est Tellemarchiam etiamnum navigatur. Qvare non video qvid ex Plinio subsidii habeat Pontanus, qvum ductorem cæcum, hoc est, locorum Septentrionalium maxime ignarum sibi seqvendum proposuerit. Ex hoc Plinii loco non contentus est Pontanus refutare eos, si Diis placet, qvi Thulemarchiam Thulen faciunt, verum ex eodem, Thulen, qvam qværimus, Islandiam esse probare conatur. Qvare inqvies? qvia teste Plinio, olim ex Norvegia in Thulen navigatum est. Verum cum Plinii tempore, nullis freqventata sit navigationibus Islandia, utpote qvæ satis diu post deserta prorsus, teste Arngrimo, atq; incognita fuerit, relinqvitur Islandiam nullo modo esse Thulen. Certe si navigatio olim facta ex Norvegia in ali-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [97] - 85
PUBLIC DOMAIN

as insulas rem conficerer, nescio qvæ insula in toto oceano, ad qvam navigare datur, non esset Thule.

Qvod Thulé juxta Melam *Bergarum litori sit opposita*, nihil efficit, cum substituta sit *Bergarum* vox pro Belgarum, contra codicum M S. & impressorum fidem; qvod viri docti dudum annotarunt. Islandiam etiam latitudinis sexagesimo tertio subesse gradui, qvem per medium Thules transire, Ptolemæus asserit, id vero ullo modo sibi constare neqvit, qvoniam Islandia intra sexagesimum qvintum & sexagesimum octavum parallelum concludatur sicut supra demonstravimus.

Cætera vero qvæ de Thule ex auctoribus ad sententiam suam confirmandam adfert, talia fere

fere ſunt, qvæ Scandinaviæ non minus qvam Islandiæ conveniunt. Qvæ autem obeſſe ſibi deprehendit, vel ut minus ſibi inſervientia, ſubticere maluit: vel ut falſa, rejicere; vel deniq; interpretatione aliqva violenter trahere ad ſuum inſtitutum.

Plures ſunt ex recentioribus, qvorum pro ſua qvilibet opinione veterum ſcriptorum loca explicantes, ſententiarum de Thule monſtra protulere. Omnes autem refutare non eſt opus, cum abſurditate ſua ultro collabantur. Quare ſufficiat eas tantummodo breviter enumeraſſe.

Ut taceam nunc eos, qvi Thulen vel in inſulis Fortunatis, vel in Britañia, vel in Grönlandia qværunt: Malbrancus(g) eam ad ſuos Monnos transfert: Henrichus Hunlindo-

(g) Tom. I. lib. I. c. II.

domenſis ad ultimum Orcadum: Myritius (h) adCambriam: Polydorus Virgilius(k)ad Ilam. Hector vero Boëthius (l) duplicem facit Thulen; alteram Ilam, Leviſſam alteram vocat. Bochartus cum Poëtis ultimam qvamvis terram veteribus Thulen dictam putat. Qvam viri magni conjecturam neqvaqvam rejiciendam putarem, niſi intelligerem neceſſe eſſe, ſi vel maxime per Thulen loca omnia remota intellexiſſent Poëtæ, hanc appellationem tamen & formulam ex una certa inſula emerſiſſe.

Hitlandia, male Scethlandia dicta, magno aliqvorum conatu pro Thule venditatur. Rationes qvibus hoc aſſertum eunt Mercator Spedo, & prænobilis ille Angliæ

(h) Part. 2. de orb. deſcript. c. 2. (k) Ang. Hiſt. p. m. 7. (l) Scot. Hiſt. p. m. 9.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [100] - 88
PUBLIC DOMAIN

Angliæ descriptor Cambdenus hujusmodi sunt. *Primo*, qvod Hitlandia nautis Tilensel dicatur: ipse *deinde* situs Ptolemaicus conveniat: *tertio* Norvegiam & Scotiam, juxta Saxonem, interjaceat: *qvarto* bidui navigatione à Caledoniæ promontorio distet, & Bergarum *denig*, litori opposita sit. Has rationes, qvoniam aliqvid præ se ferre roboris videntur, non abs re erit examinare, qvo, qvid eis insit firmi ac solidi, ostendamus. Primum qvod attinet, Hitlandiam nautis qvidem Thylinsel dici credo, qvia dixit id Peucerus, attamen inde non conficitur, cum cætera non sint paria, eam esse ipsam Thulen. Ratio in promtu est; qvia illa cum Orcadibus cæteris, ditionis fuit olim Thulitarum, ut dicta sit Tilensel/qvasi Thulitarum insula:

Neq; alterum, qvod ſcilicet à Ptolemæo petitur argumentum qvidqvam concludit, cum Hitlandia ſexageſimum tertium parallelum neutiqvam aſſeqvatur, & à meridiano triceſimo primo (qvem Thulitis Ptolemæus aſſignavit) occidentem verſus non modico ſpatio recedat. Ex Saxone nihil ſolidi affertur, qvo adſtrui hæc ſententia poſſit; cum in illo hujus rei ne apicem deprehendes. Nominavit fateor, Thulen ſemel iterumqve, ſed minime gentium Hetlandiam indigitavit. Stephanius qvi notas uberiores ad Saxonem ſcripſit, per Thulen Islandiam innuiſſe eum exiſtimat: qvo & illum nomine reprehendit. Ejus vero interpretes Vellejum & Chriſtiernum Petri laudat, qvod hanc ejus Thulen non per Islandiam, ſed per Teſſoe & Tylyoe interpretati ſint. Et hoc

hoc contra Pontanum tenendum eſt, qvi Vellejum *Thylenſes* Saxonis, *Islandos* vertiſſe ait. (m) Nec firmiora ſunt qvæ ex Solino pro hac ſententia adferuntur, qvi ſcilicet ſibi non conſtat; cujus ideoqve locum viri docti corruptum credunt, & corruptum eſſe eum patet ex iis qvæ ſeqvuntur: ad qvæ ſi attendere vis, ab Orcadibus ad Thulen qvinqve dierum & noctium navigationem facere eum deprehendes. Hitlandia ergo inter Orcades eſt, & tamen qvinqve dierum & noctium navigationem ab illis abeſt: Caledoniæ vero promontorium navigatione tantum bidui, cum tamen in Britannia minori ſit: qvæ mirum qvantum ab Orcadibus diſtat. Ad Melam tandem appellant, idq; nihilo felicius, pravis

(m) Chorog. deſ. Dan. p. 748.

nempe ejus decepti codicibus, qvi pro genuina voce Belgarum, ut alia occsione diximus, corrupte *Bergarum* legunt.

Fuere qvi recentiorum auctoritatibus rem putarunt decidendam; qvæ si in hoc negotio attendi debet, non multum laborandum nobis, cum numero plures sint qvi nostram sententiam amplectantur. Clarissimorum in Regia hac Academia nominum par Laurentium Fornelium & Olaum Verelium proferre placet. Ille dum viveret Poëseos Professor bene meritus, ante octennium carmine qvodam, locum tempusqve, qvo saxum professionis Poeticæ volvit, ita designat:

Per messes lætas tricesima transiit ætas,
Dum doceo in Thule Tityre tu patulæ.

Hic

Hic in eruditissimis notis ad Historiam Hervoræ, expressis verbis Thulen Scandinaviam interpretatur. His adde Danielem Heinsium, clarissimum Belgii lumen, ut ex multis exterorum eum appellem testem, in qvodam carmine suo, ita ad omnis ævi glorioſissimum Regem Gustavum Magnum cecinit:

Thule selve kan my hooren/
Haeren Koninck prist mijn sanck
Die hy nu kent over lanck. &c.

Hæc ideo à me adferuntur qvo satisfiat Pontano, qvi auctoritati Casauboni, qvem impense veneror, omnia defert.

CAPUT QVINTUM
De Hyperboreis.

SInt ne Hyperborei. Unde dicti. Veri qvi & ubi. Montes Rhiphæi ubi. Herodotus, Plinius, Solinus, Ptolemæus, Aristoteles. Mela de Rhiphæis. Isacus Vossius. Ortelius laudatus. Statius. Calpius. Kioln. *Acheron. Undalensis.* Meskestrom. Afgrond. *Edda.* Risilsstigum. *Resenius.* Riper *avicolæ genus. Bremensis. Plinius. Aristoteles expositus. Dionysius Afer. Mare electriterum. Stiernhielmius laudatus. Diodorus Siculus. Hecatæus. Insula Hyperboreorum. Basilea. Plinius. Fertilitas terræ Hyperboreæ. Domicilia. Religio. Odinus idem qvi Apollo. Fabula de Cyclopibus Septentrionalium unde. Templum Upsaliense. Lucus. Apollo Delius. Cyclus lunæ. Scheffer us. Justitia & vitæ longitudo Hyperboreorum. Conclusio.*

Hacte-

HActenus qvæ ſit, & ubi terrarũ exiſtat Thule, ſoliciti fuimus; ſupereſt, ut terræ ejus incolæ, qvinam fuerint, oſtendamus. Hos Græcorum vetuſtiſſimi, & qvi eos ſeqvuntur, ob longinqvum verſus Septentrionem ſitum Hyperboreos vocarunt, & omnium qvi terram incolunt hominum maxime felices crediderunt. Ignorantia vero locorum Septentrionalium factum eſt, ut alii hanc, alii aliam iis tribuerint ſedem: idq; tanta varietate & incertitudine, ut dubitandi anſam inde ceperint nonnulli; ſint ne aliqvi in rerum natura Hyperborei nec ne. Herodotus nullos Hyberboreos, qvia nulli ſunt Hypernotii, agnoſcendos cenſet; cui facete reſpondens Eratoſthenes, & poſſibile eſſe, dari Hypernotios: & ſi non eſſent, argumen-

gumentum illud *cavillo isti simile esse, quo negantur esse qui malis alienis gaudeant, quia non sint qui bonis alienis gaudeant.* Alii rem rectius reputantes, omnem de Hyperboreis dubitationem supervacaneam esse ostendunt. *Nec licet*, inqvit Plinius, (b) *dubitare de gente ea, cum tot auctores prodant frugum primitias solitos Delon mittere Apollini, qvem præcipue colunt:* Solinus (c) *Fabula erat de Hyperboreis, & rumor irritus, si, qvæ illinc ad nos, temere forent credita: sed cum probatissimi auctores, & satis vero idonei sententias pares faciant, nullus falsum reformidet.*

Hyperboreos Hecatæus apud Diodorum (d) dictos putat, ἀπὸ τῆς παρῳκίας κεῖσθαι τῆς βορείας πνοῆς, *qvod sint borea vento remotiores.* Sic & Plinius *ultra aqvilonem ejus.*

(b) 4. 12. (c) 21. (d) l. 2.

ejusqve *initia*; & Mela, qvod *super aqvilonem & sub ipso siderum cardine*, habitaverint. Cui expositioni, error veterũ, rem ita se habere existimantium, locum fecit. Alii igitur qvibus id durum creditu videbatur, aliam commenti sunt nomins rationem. Orpheus qvidem qvi in Argonauticis ἀνέμους, hoc est, *omni vento carentes* eos appellavit; videri sibi dictos Hyperboreos ostendit, qvod ventorum, & præcipue Boreæ sævitiam non sentirent. Herodotº etiam τὰς, παρ' οἷς ὁ Βορέας οὐ πνεῖ. *apud qvos non spiret Boreas*. Verum Strabo aliam ingreditur viam, cui particula ὑπὲρ non *trans* seu *ultra*: sed ut intensio qvædam, superlativum, ut loqvuntur, gradum insinuans, non sine bonorum auctorum exemplo, exponitur. Unde & ὑπερβορείους τοὺς Bo-

 ρεο-

ϱευσταλὲς, (e)hoc est, *homines maximè omnium Septentrionales* interpretatur.

Recentiorum vero non pauci Hyperboreos dixere omnes cis Alpes, ad Septentrionem & occidentem, populos: verum cum ad eos nullo jure pertineant ea, qvæ de Hyperboreis auctores prisci Græci & Latini commemorant, eos missos facimus, & in hoc tantum studemus, ut verorum Hyperboreorum nativam & patriam sedem ostendere, qveamus,

De situ Hyperboreæ gentis, uti diximus, mirum qvantum variant auctores. Herodotus *supra Arimaspos* ἄνδρας μονόφθαλμους: Plinius *ultra aqvilonem ac ultra Scythas & aqvilonis initia*: Solinus *pone Pterophoron Scythiæ regionem*: Mela *in litore Asiatico* &

(e) l. II. p. 62.

& *ultra Amazones* : Ptolemæus *in Sarmatia Asiatica* : alii alibi collocarunt Hyperboreos. Plerique tamẽ in eo conveniunt, ut in Septentrione& qvidem ad Rhiphæos montes sint inveniendi. Qvare ut eorum patria rite demonstrari qveat, præcipua cura erit, ubinam gentiũ sint Rhiphæi montes, ostendere; qvod in tanto circa rem illam auctorem dissensu, qvam plenum sit opus aleæ ac difficultatis, nemini in obscuro esse potest.

Aristoteles enim *ultra extremam Scythiam*, Ptolemæus *ad ostia Tanais* Rhiphæos rejecerunt. Ex his Mela Tanaim decurrere incitatum & præcipitem memoriæ prodidit. Qvod & veteres tenuisse auctor est Procopius, & hodieq; ex eorũ scriptis id ipsum videre licet. Verum eos falli

melior geographia docet; ut qvæ nullos, circa Tanais tractum, montes excelsiores agnoscat. Isacus Vossius (f) tantum abest ut aliqvos ad Tanaim montes admittat, ut universum Septentrionem præter Norvegiam, carere montibus asserat.

Qvod cum animadvertit & ex testibus oculatis invenit Ortelius, Sevonemq; hoc est, Dofra-Skars- & Sula-Fiellar/montium Septentrionalium altissimum, in plerisqve cum descriptione Rhiphæorum convenire comperit; illos ipsissimos esse Rhiphæos pronunciavit. (g) Qvod ut faceret non parum Calpius & Acheron, Orpheo in Argonauticis memorati, svaserunt,

Nam mons Riphæus, & vertex
Calpius illinc,
Nascentem avertunt solem --(h)

(f) Not. ad Mel. p. 106. (g) Thes Geog. in Voc. Hyp. (h) vers. 1120. & seq.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [112] - 100
PUBLIC DOMAIN

& mox:

Digressi hinc igitur, pedibusq; ea
litora mensi,
Venimus ad scopulum fortem, li-
tusq; serenum
Vorticibus fluvius decurrens in-
de profundis
Aureus egelidis Acheron perlabi-
tur oris.

Calpen seu Calpium verticem Rhiphæi montis altissimum facit Orpheus, qvi alius esse non videri possit, qvam excelsum illud Dofrini montis jugũ, qvod Undalensis (i) Kiöln appellat. Dätt store Field Kiöln som Lappefinderne vanke paa/strecker nord til Hafvet: *ingens ille mons* Kiöln *in qvo degunt Lappones, usq; ad mare excurrit.* Acheronta vero esse abyssum, qvi est inter Moskenäs & Moskoe/ & vulgo Moskoeström/ doctis *ma-*

(i) Des. Norveg. p. 109.

ris Umbilicus dicitur, non absre qvis existimaverit. De hoc Statius loqvi mihi videtur,

e refluo circumsona gurgite Thule.

Ortelio enim Acheron conflatum videtur ex privativis a vel af & grond fundus, utsit, qvasi dicas, *sine fundo*; qvod posteaGræci suo sono ἀχέρων pronunciaverint.

Hanc Ortelii de Rhiphæis montibus sententiam, oppido qvam confirmat observatus Præsidi meoEddæ locus:(k)ubi Gylfo Sveciæ Rex,ab Asis de nomine, unde & cujas esset interrogatus, respondit: Han nefndest Gångle-re/och komenn af Rifilsstigom/ *Ganglerum nominari se, & ex callibus Rhiphæis accessisse.* Qvibus verbis Ganglerus accolam se esse Rhiphæi montis significavit,non ve-

ro

(k) Gilfaginning fab.2.

ro veniſſe ex tractu Ravennenſi, ut conjicit Ampliſſimus Reſenius. Qvare cum è Regno ſuo ad viſitandos Deos Aſiaticos profectum eſſe Gylfonem conſtet; indubitato relinqvitur Gylfonis regnum Rhiphæum dictum eſſe, nomenqve id ſortitum à vicinis montibus Rhiphæis. Nec prætereundum, deſcendere in Helſingiam tractusq; vicinos, ex Sveo-Norvagicis montibus quotannis, præcipue vero quando nivium vis major terras iſtas obruit, aviculæ genus, pennis niveis, columbæ magnitudine, quod Riper vetuſto vocabulo appellant in iſtis locis homines: id vero à notiſſimo olim montis nomine ſumtũ eſſe, & ad hæc uſq; tẽpora in aviculis illis conſervatum, quis dubitabit? Bremenſis (l) ſane montana

(l) Hiſt. Eccleſ. Cap. 229.

na Sveonum, ſi non eadem cum Rhiphæis montibus, certe eis contigua facit, ubi dicit: *De Sveonia vero non tacent auctores, Solinus ſcilicet & Oroſius, qui plurimam partem Germaniæ Svevos dicunt tenere, nec non montana ejus uſq; ad Rhiphæos montes extendi.* Plinius autem, *Sevo mons ibi immenſus, nec Rhiphæis jugis minor.* Cæterum cum non ſint in toto Septentrione montes, qui Sevoni aliqua ratione comparari poſſint, ſicut paulo ante ex Iſaco Voſſio & Ortelio oſtenſum eſt, quid aliud ſequitur, quam Sevones montes eſſe veterum Rhiphæos, & vicinos populos Hyperboreos.

Nam inventis Rhiphæis montibus non dubium eſt, quin, tot auctorum teſtimonio, ejus accolæ ſint Hyperborei. Ariſtoteles quidem ultra extremam Scythi-

am

am Rhiphæas cautes collocavit: qvod sic intelligendum esse censeo. Scythia qvæ in Europa est, Sarmatiæ finibus terminabatur: qvam cum ad occidentem, ora maris Baltici, inde ab ostio Vistulæ ad intimum sinus venedici recessum, ac deinceps terræ ad Boream incognitæ clauderent; verisimile est Aristotelem, hanc ultra Scythiam jacentem chersonesum Scandiam, Rhiphæis montibus una cum Hyperboreis, sedem destinasse. Dionysius Afer flumina ex Rhiphæis montibus orta, in mari, ubi electrum nascitur, exonerari scribit:

Κεῖθι καὶ Ἀλδήσκοιο, καὶ ὕδατα πανδικέπαο
Ῥιπαίοις ἐν ὄρεσσι διάνδιχα μορμύρεσκε.
Τῶν δὲ ῥοὰς προχοῇσι, πεπηγότας ἐγγύθι πόντου

Ἠδυφαὴς ἥλεκτρος ἀΐσσεται, ἣν ἅτε φαὼς
Μήνης ἀρχομένης.

Illic qvoq; Aldesci & Panticapæ aqvæ
Rhiphæis in montibus separatim murmurant.
Horum itcm juxta Gurgites, glaciale prope mare,
Jucundo nitore lucens electrum nascitur, velut qvidam splendor
Lunæ ineuntis.

Qvod si verum est, è Sevone monte in mare, qvod Balticum appellamus, omnes eos devolvi oportet: qvod neq; alii sint montes in borea mundi parte, Sevonibus celebriores; neq; aliud mare, in qvo succinum seu electrum nascatur. Nec obstat qvod pontum hunc πεπηγότα, h.e. *concretum*, nominet: cum, qvicqvid terrarū ultra

ultra mare Balticum exiſteret, inſulas eſſe interfuſo glaciali Oceano, crederet antiqvitas.

Hic accedit graviſſimum illud, qvod diſſertatione eruditiſſima, de Hyperboreis, obſervavit beatæ memoriæ Nobilis. Stiernhielmius, antiqvitatum Patriæ, dum viveret, feliciſſimus non minus, qvam acerrimus vindex; ſcilicet antiqvi & bonæ fidei ſcriptoris Hecatæi, de Hyperboreorum ſede, teſtimonium. Hic enim apud Diodorum Siculum (m) ex antiqvorum ſcriptis tradit, *contra Galliam in Oceano inſulam eſſe non minorem Sicilia, Arctis ſubjectam qvam Hyperborei incolant*: Hic auctor, ſi qvisqvam alius, Hyperboreorum patriam manifeſtis nobis detexit indiciis: tantoq; majorem is meretur fidem, qvod

(m) l. 2. p. m. 130.

tantam ſibi rerum Hyperboreārum notitiā comparaverit, ut eas, Plinio teſte (n) peculiari volumine perſecutus fuerit. *Inſulam Hyperboreos incolere* dicit *Arctis ſubjectam contra Galliam.* Inſulæ in Oceano veteribus celebratiſſimæ fuere Britannia & Thule ſeu Scandinavia; illa verſus occaſum, hæc vero verſus Septentrionem Galliæ (qvo nomine Diodorus plerosq; etiam Germaniæ populos comprehendit) opponitur. Liqvet igitur Britanniam ſeu Scandinaviam hic intelligi debere: præſertim cum alio loco Diodorus Baſileæ inſulæ eundem prorſus ſitum, qvem Hyperboreorum inſulæ tribuat, his verbis: *Eregione Scythiæ contra Galliam, in Oceano inſula jacet, qvam Baſilea vocitant.* Baſileam autem Scandina-

(n) l. 6. c. 17.

dinaviam esse omnibus in confesso est.

Naturam istius loci, moresq; incolarum describit Plinius (o) in hunc modum: *Regio* gentis Hyperboreæ, *aprica, felici temperie, omni afflatu noxio carens. Domus iis nemora, lucique, & Deorum cultus viritim gregatimq; ; discordia ignota & ægritudo omnis. Mors non nisi satietate vitæ, epulatis delibutisq; senibus luxu, ex quadam rupe in mare salientibus. Hoc genus sepulturæ beatissimum.*

Regionem felicem deprædicat, quod *aprica*, quod *temperato cœlo* & *salubri* gaudeat. Sic Mela (p) *Terra augusta, aprica, per se fertilis.* Et Solinus (q) *De cœlo magnam clementiam auræ spirant salubriter, nihil noxii flatus habent.* Item Hecatæus: *Solum hic ferunt*

(o) l. 4. c. 12. (p) l. 3. c. 5. (q) c. 21.

optimum esse, ac fructuosum optimeq; temperatum. Qvi hæc ad fertilitatem soli, & salubritatem cœli Scandiani applicare volet, videbit omnia vera esse, & cum natura hujus terræ egregie consentire. Sufficiet annotasse locum Bremensis (r) ubi de Sveonibus loqvitur : *Sveonia ergo regio est fertilissima, ager frugibus, & melle opimus, extra qvod pecorum fœtu omnibus antefertur, oportunitas fluminum sylvarumq; magna, ubiq; peregrinis mercibus regio omnis plena. Nullis itaq; egere dicas Sveones opibus, exceptâ qvam nos diligimus, sive potius adoramus, superbia.* His addi possunt qvæ habet Olaus Magnus de gentibus Septentrionalibus libro tertio. *Domos* Hyperboreis ait Plinius, *nemora esse & lucos.* Nec aliter Solinus: *Domus*

(r) Hist. Eccl. c. 229.

Domus ſunt nemora vel luci. Mela; *habitant lucos ſylvasq́.* Qvalem habuerint rura noſtra antiqvis temporibus faciem, docet Hiſtoria Rolfi circa initium his verbis: I than tima var vida bygt/thar ſom mykler ſkegar voru umhverfis / *Illo tempore habitabant communiter in denſisſimis ſylvis.* Addantur etjam qvæ ſupra diximus cap. 3. pagina 61.

De cultu, qvo Deos viritim gregatimq́ proſeqvebantur, etiam Mela & Solinus ſic ſcribunt: *Ajunt etiam ſolitos per virgines probatisſimas primitias frugum Apollini Delio miſſitare: verum hæ, qvoniam perfidia hoſpitum non illibatæ reveniſſent, devotionis, qvam peregre proſeqvebantur, Pontificium mox intra fines ſuos receperunt.* Sed expreſſius Hecatæus apud Diodorum. *Latonam hic natam fabu-*

fabulantur idcoq; Apollini præ Diis aliis cultum deferri; & quia Deum hunc quotidie perpetua laudum decantatione celebrent, & ſummis perſequantur honoribus, homines illos velut ſacerdotes Apollinis eſſe, perhibent. Cujus lucus ibi magnificus; & templum inſigne rotunda forma, donariisq; multis exornatum; urbs quoq; Deo huic ſacra; civium pleriq; citharistæ; qui citharas in fano pulſantes, ſacros Deo hymnos canant, quibus geſta ejus honorifice prædicentur. Apollo idem eſt qvi Sol. Sicut enim ſub nomine Apollinis Latini Græciqve numen ſplendidiſſimi ſideris, ita & Scandiani ſub *Odini* id venerati ſunt. Qvod vel mytologia Eddica probaverit; qvæ monoculum Odinum facit; ſignificans eum non alium eſſe, qvam Apollinem, hoc eſt, Solem, univerſi

hujus

hujus oculum unicum. Hinc versus Saxonis. (s)

Et nunc ille ubi sit, qvi vulgo dicitur Othin
Armipotens, uno semper contentus ocello.

Nec videtur nobis absimile vero, monoculum illum Odinum, exteris oraculum ejus consulentibus, dedisse occasionem de Arimaspis & Cyclopibus harum regionum fabulandi. Hunc Odinum nostri adeo devote coluerunt, ut ad eum placandũ, ne à liberis qvidem propriis, nedũ à regio sangvine manus abstinerent. Hujusmodi funere novem filii Ani, ipse Domaldus, & Vermelandiæ meæ conditor Olaus Trätelja, ut & Vicarus perierunt. Qvos Diis suis immolarunt, aqva putei suffocatos, & in *luco* ad magnifi-

(s) lib. 2. p. 37.

centiſſimum illud, maximeqve per totum Septentrionem *templum* Upſalienſe conſito, ſuſpenderunt. Adamus Bremenſis hac de re ſic ſcribit (t) *Nobiliſſimum illa gens* Sveonum, *templum habet, qvod Upſóla dicitur, non longe poſitum à Sictona civitate vel Birka. In hoc templo, qvod totum ex auro paratum eſt, ſtatuas trium Deorum veneratur populus.* Et mox: *Reges & populi omnes, & ſinguli ſua dona ad Upſólam transmittunt.* aliqvibus interpoſitis; *corpora* immolatorum *ſuſpenduntur in lucum, qvi proximus eſt templo. Is enim lucus ſacer eſt gentilibus, ut ſingulæ arbores ejus, ex morte vel cibo immolatorum divinæ credantur.* Nec aliter Ericus Ubſalienſis; (v) *Erat ſiqvidem in monte præfato templum mirificum, multa ambitione*

(t) Hiſt. Eccl. cap. 233. (v) Hiſt. Goth. p. 1.

bitione conſtructum, auroq; tectum. Et paucis interjectis: *corpora vero in luco quodam proximo ſuſpendebant, putantes arbores ipſas ex morte immolatorum divas & ſacras, quibus idcirco plurimum deferebant.* Qvare ſi non aliud templum Upſalienſi, in parte mundi borea celebrius, Odino ſeu Apollini (qvi reſponſa haud ſecus ac Delius dedit petentibus) conſeratum fuit: Qvis aliud concluſerit, qvam majores noſtros, veterum fuiſſe Hyperboreos, & patriam noſtram illorum genuinam ſedem? Cæterum non ſolum domeſtico Deorum cultui homines iſti dediti fuere; ſed longinqvum etiam exercebant: miſſis qvotannis ad Apollinem Delium donariis. Illum viciſſim terram hanc, ut patriam ſuam ſingulis undeviginti annis viſitare

refert Hecatæus. Hæc talia ſunt, qvæ uſum cycli lunaris apud Hyperboreos, qvam apud Græcos vetuſtiorem eſſe, haud obſcure innuunt. Hecatæus enim hæc de Hyperboreis narrat ut rem vetuſtiſſimam; qvam Græcia Metonis tandem tempore uſurpare cæperit.

Qvam præterea ferunt Hyperboreis cum Græcis fuiſſe familiaritatem, & qvidem ex *antiqvis temporibus*, ut habet Hecatæus, *confirmatam*: eandem Scandianis cum Græcis exercuiſſe, teſtantur adhuc extantia monumenta lapidea, mortibus parentantia illorum, qvi vel in Græcia, vel inde reverſi domi obierunt. Qva de re videndus omnino eſt celeberrimus Schefferus noſter (x) qvem Upſalia noſtra merito ſibi gratulatur

(x) Upſal. Antiq. c. 13.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [128] - 116
PUBLIC DOMAIN

latur pieq; vovet, ne sibi aliqvid siniſterius fatum præclarum illud nomen invideat, per qvod cultori jam orbi, apprime innotuit.

Pergit Plinius: *Diſcordia ignota & ægritudo omnis. Mors non niſi ſatietate vitæ, epulatis delibutisq; ſenibus luxu, ex qvadam rupe in mare ſalientibus, hoc genus ſepulturæ beatiſſimum.* Apud omnes auctores gens illa ob juſtitiam & vitæ longitudinem qvam maxime celebratur. Nam Mela *cultores* terræ Hyperboreæ *juſtiſſimos eſſe, & diutius qvam ulli mortalium & beatus vivere*, depredicat: *& ubi eos vivendi ſatietas, magisq; tædium cepit, hilares redimitos ſertis, ſemetipſos in pelagus ex certa rupe præcipites dare. Id eis funus eximium eſt.* Sic Solinus: *Diſcordiam neſciunt: ægritudine non inqvietantur: ad innocentiam omnibus*

æqvale votum, mortem accersunt, Et voluntario interitu castigant obeundi tarditatem, qvos satietas tenet vitæ, epulati delibutiq́, è qvadam rupe præcipitem casum in maria destinant, hoc sepulturæ genus optimum arbitrantur.

Videamus jam anne hæc etjam competant Thulitis nostris seu Scandianis. De justita & hospitalitate Sveonum Bremensis sic loqvitur : *Capitali vero mulctatur pœna, si qvis alterius uxorem cognoverit, aut vi oppresserit virginem, sive qvi alterum bonis suis spoliaverit aut injuriam fecerit. Qvamvis omnes Hyperborei hospitalitate sint insignes, præcipui sunt nostri Sveones : qvibus est omni probro gravius hospitium negare transeuntibus, ita ut certamen habeant inter se, qvis dignus sit hospitem reci-*

recipere. Cui omnia exhibens humanitatis jura, qvot illic commorari voluerit diebus, ad amicos ſuos illum certatim per ſingulas dirigit manſiones. Longioris vitæ exemplum præbet nobis Gudmundus qvidam in Hervoræ hiſtoria circa initium: Gudmunde hiet Hofdingi i jotna heimum; bar hans het a Grund; enn hieraded Glæſisveller: han var riknr madur oc vitur/oc ward ſvo gamall/ oc aller hans menn/ad their lifdu marga mans alldra: thvi trudu heidner menn ad i hans rike munde Odains akar/ (ſa ſtadur/ er af hvorium manni/ er thar kiemr/ hverfr ſott och elli; oc ma eingen deya.) *Gudmundo nomen erat Satrapæ Jotunheimiæ: cujus aula* Grund/ *& territorium* Gleſisveller *dicebatur: dives hic erat, & cum aulicis ſuis, annis tam grandis, ut ſecula aliqvot ætas illorum complecteretur; ac propterea gentiles in regno ejus immortalium domicilium eſſe crediderunt: hoc eſt ejusmodi locum, in qvo omnis ægritudo ac ſenii imbecillitas detergeretur eo venientibus, at nulli ſit neceſſitas moriendi.* Nempe conſciſcebant ſibi mortem ſponte in his regionibus, vitæ longiſſimæ tædi-

um,

um, è rupe qvadam (qvam hiſtoriâ Gothrici ætternis Stapa/ *ſcopulum gentilem* nominat) in mare ſaliendo, abrumpentes. Videantur loca ipſa, cum notis eruditiſſimis ad ea additis, ab Ampliſſino antiqvitatum noſtrarum aſſertore Olao Verelio.

Ex hac tanta antiqvitatum noſtrarum cum Græcis Latinisq; convenientia, confidenter pronunciare non dubito Hyperboreos vel in Scandinavia, vel nuſqvam gentium reperiri.

Eſſent ſane adhuc multa qvæ eximie probarent Scandianos veterum eſſe Hyperboreos, ideoqve merito addenda; niſi laborandum mihi magis eſſet, de facili, nimiæ forte prolixitatis venia, à Te benevole Lector, inpetranda: qvam ſpero largiaris mihi, ſi gentem & terram non claram minus & auguſtam qvam controverſam conſideres, qvæ longius traxit me, ſed nec invitum. Hic itaqve pedem figens, omnia qvæ hactenus fuſe propoſita ſunt, verbo complector: THULE SCANDINAVIA EST, ET EJUS INCOLÆ HYPERBOREI.

Epi-

Epigramma.

Δῆλόν σειο τὸ ἀγχίνοον ϑέτο ΘΟΥ-
ΛΗ ἄδηλον,
Δηλωθεῖσα σοφῶς σεῖο τῷ ἀγχι-
νόῳ.

Disputationis hujus autori, convictori suo & amico veteri l. mg. scripsit

MARTINUS BRUNNERUS,
S. Th. Prof. & Acad. h. t.
Rector.

Ad
Ingenii politissimi & elegantissimæ doctrinæ Juvenem Dominum SVENONEM KARLSTRÖM Wermelandum Disputationis hujus Auctorem.

CUrioſum nobis natura dedit ingenium, & inveſtigandis abditis & remotiſſimis qvibusqve avidum. Non igitur contenti ſpectaſſe illa, in-

ter qvæ nati educatiqve ſumus' progredimur ad alia. Pergimus in terras longinqvas, & naturam rerum, qvaqva patet, ſeqvimur. Hoc animo ſuperioribus temporibus non cum Oceano ventisq; tantum, ſed ipſa hyeme, nivibus, glacie pugnatum, ut detegeretur, qvod tot ſæculis ſub Arctoo ſydere conditum latebat. Vicit ſtudium noſcendi ipſam propemodum Naturam, coactaq; eſt invita qvamvis & reluctans illi ſe ſubmittere ac obſeqvium præſtare. Nec ſuperfuit, qvam ut orbem jungeremus inter ſe utrumq;, & ex ultimo Septentrione tranſitum in Orientem primum per incredibilia compendia faceremus. Poſt hoc ſummum tamen omnia terrarum mariumqve ſecreta perſcrutandi ſtudium manet in occulto,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [134] - 122
PUBLIC DOMAIN

occulto, qvam tot veteres celebravere, Thule oceani Arctoi insula. Scilicet ne ipsi qvidem inter se conveniunt, in ejus terminis finibusq; enarrandis. Ultimam terrarum facit Virgilius. Pythias Masilienſis sex dierum navigatione distantem à Britannia in Septentrionem. Mela Belgarum littori oppositam. Strabo sic commemorat, ut credas dubitasse, num sit Thule aliqva,& non potius figmento formata fuerit ab iis, qvi credulitati aliorum illudebant. Eos certe, qvi Hiberniam lustrarunt, nil ipsius, ne per famam qvidem comperisse testatur. Unde nostro qvoq; ævo pars per Thulen significari voluerunt Islandiam, pars unam ex Orcadibus, alii totam eam peninsulam, qvam veteres alio nomine dixerint Basi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [135] - 123
PUBLIC DOMAIN

liam & Scantziam, alii in Daniæ qvodam angulo eam locavere. In hac tanta omnium diſſenſione invenire qvod ſit veritati maxime conſentaneum, labor eſt non exiguus, qvi reqvirit non ſolum ſtudioſam veterum recentiorumq; monumentorum inter ſe collationem, ſed & judicium acre penetransq;, qvo à ſpecioſis vera, ab infirmis ſolida, à fictis dubiisq; certa diſcernantur. Qvo majore ornandus es laude, Juvenis egregie, qvod non deterritus argumenti difficultate, Thulen aperire nobis, hoc eſt, qvid de ea cenſendum ſit, oſtendere ſuſceperis. Gratulamur Patriæ hunc tuum animum, atq; commodorum, qvæ ex miniſterio fideliſſimo promptiſſimoq; Nobiliſſimi Domini Fratris tui jam jam percipit haud mediocria, ex hac in-

induſtria tua ei pollicemur perpetuitatem optabilem, in qvocunq; vitæ genere tua uti opera aliqvando decreverit. Deus te ſervet, huncq; tibi firmet animum, & poſt luſtratas non tam ex more, qvam uſu commodoq; publico terras exteras, Patriæ tuisq; ſalvum te reſtituet. Vale. Scrip. Upſaliæ a. d. 23. Septemb. Anno M DC LXXIII.

Qvi te propter vitæ rectitudinem & eruditionis elegantiam diligit ex animo

JOANNES SCHEFFERUS,
Reg. Jur. Nat. & Gent. Prof. Honorarius, nec non Eloq. & Polit.
Skyttianus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [137] - 125
PUBLIC DOMAIN

QVæ latuit longum multis qvæsita per ævum,
Te Karlström Thule, repperiente, patet.
Sic patriæ reddis sua nomina prisca; sed illa
Non ingrata, tuum nomen ad astra feret.

Dn. Karlstromio suo sic gratulari voluit

MAGNUS CELSIUS.

Præstantissimo elegantissimoq;
JUVENI

Svenoni Karlström/

Amico svavissimo,

Cum dissertationem suam de Thule veterum in lucem ederet.

FAma vetus, Thule, Grajis celebrata Camœnis,
Speravit frustra qvam fore Roma suam. Seu

Seu matutino primam Tithonia vultu
Te videt, è roſeo dum venit alma toro:
Ultima Phœbeos ſeu differs meta labores,
Hoſpitioq; cadunt ſidera prona tuo:
Sive Gigantëis in te fremit Hecla Caminis,
Et Typhona tegis mole premente novum:
Sive orbis timor & Romæ dominantis in orbem
Arva tibi vinci neſcia Gotthus arat;
Teqve, ô terra parens, ignari qværimus in te,
Fallis & in proprio, chara, fugisqve ſinu:
Terrarum, qvacunqve lates, ô gloria, Thule,
Plaude, tuisqve, precor, laudibus ipſa fave.
Miti contendunt de te certamine gentes,
Te cupido qvævis vindicat ore ſibi. Cogni-

Cognita non ulli cuivis agnoſceris ultro,
Quæq; fere es nusqvam, prendis ubiq; locum.
Aſſerit Arctois ſed te KARLSTROEMIUS oris,
Invenit & multam pagina docta fidem.
Ignoſcat, ſi cui diverſa in pectore mens eſt;
Seu jubet hoc ratio, ſeu jubet acer amor,
Nil ultra ambigimus: jam priſcum, hoc vindice, nomen
Patria, ſe Thule repperit ipſa ſibi.

Ita adplaudit Ejus ex are & libra

PETRUS Lagerlööff.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 198, [140] - 128
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 198, [141] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 198, [142] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 198, [143] - -

PUBLIC DOMAIN


GWLB Hannover
036 856 371
35

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 198, [144] - -

PUBLIC DOMAIN

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 198, [145] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 198, [146] - -

PUBLIC DOMAIN


Leibn.
Marg.
198
CELSIUS
5
10
15
20
cm
A B C D E F G H I J K L M N Focus O Balance Q R S T U V
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 W X Y Z
Copyright 4/1999 YxyMaster GmbH www.yxymaster.com
VierFarbSelector Standard * - Euroskala Offset